



I. VIII

1930

Кн. 2.

БОГОСЛОВІА ВОЇНОСЛОВІА

НАУКОВИЙ ТРИМІСЯЧНИК

ВИДАЄ

**БОГОСЛОВСЬКЕ
НАУКОВЕ ТОВАРИСТВО**

ЛЬВІВ — LEOPOLI

Зміст (Index)

	Сторона (pag)
Dr. Nic. Rusnak — De C. J. C. respectu ad codificationem iuris Ecclesiae catholicae orientalis	81—118
Волод. Левицький—Церковне судівництво в церковних уставах XI і XII віку (Vlad. Levyckij — De iudiciis ecclesiasticis in Ucrainorum constitutionibus publicis XI et XII saec.) докінч. сл.	119—131
2. Огляди й оцінки (Conspectus et recensiones) Dr. M. Grabmann — Die Grundgedanken des hl. Augustinus über Seele und Gott (о. А. Іщак). Аскетичні твори св. Отця нашого Василя Вел. Переклав з грецького митр. А. Шептицький (о. В. Лаба). Василь Щурат — В обороні Потієвої Унії (о. В. Толочко). D. Cuth. Butler — Sancti Benedicti Regula Monasteriorum (о. Бульс Ч. св. Ізб.). о. Др. Кархут — Граматика української церковнослов'янської мови (о. Т. М.)	132—141
3. Вибрані питання (Analecta) : о. А. Іщак — о. Іван Рудович † 6.VIII 1929.	142—144
4. Всячина — Хроніка (Varia — Chronica). Вартість богослов'ї як науки — Кард. Гаспарі — Проф. Бавмштарк. — Новий орган Ферстера. — Нова св. Конгрегація. — Переповнення німецьких університетів — Катол. університет в Дубліні. — Міжнародний конгрес історії релігії.	145—150
5. Книжки і часописи (Libri et ephemerides)	151—170

NOTA: „Bohoslovia“ quater in anno (praeter „Summaria“, semper unum alterumve articulum latine conscriptum continens) prodit Annua subnotatio pro externis regnis 2½ Dol. am.

„Bohoslovia“ Leopold (Lemberg)
Kopernika 36.



De C. J. C. respectu ad codificationem iuris Ecclesiae catholicae orientalis

§. 4. Relatio sacerdotum variorum rituum catholicorum ad seinvicem

§ 1. Unusquisque autem ritum suum sequatur.¹⁾ Haec eadem statuta leguntur quoad Sacramentalia. „In Sacramentalibus conficiendis seu administrandis accurate serventur ritus ab Ecclesia probati“²⁾.

Ratio canonum citatorum ordinatione innititur concilii oecumenici Florentiae anno 1439. habiti, quae ita sonat: „Sacerdotes in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae sive occidentalis, sive orientalis consuetudinem“³⁾

Lex itaque communem latini et graeci ritus sacerdotum ad seinvicem ordinans relationem summa haec est: omnes et singuli stricte, quae a proprio ritu et praescripta fuerint disciplina, servare debent. Quapropter:

1. Episcopus latini ritus catholicus sine speciali Summi Pontificis indulto iuvenem non potest ordinare graeci ritus catholicum. „Episcopus proprius ... subditum orientalis ritus, sine apostolico indultu, licite ordinare non potest“⁴⁾.

Regulae huic intime nexum esse canonem 961 patet „Litterae dimissoriae mitti possunt ab Episcopo proprio ... ad quemlibet Episcopum, ... excepto casu, citra apostolicum indultum, Episcopo ritus diversi a ritu promovendi“⁵⁾. Haec eadem sibi vetita esse teneant Episcopi etiam ritus orientalis. Codicem C. J. C. de hoc quidem formaliter positive non loqui, certum est, rem tamen reciprocam esse, omnibus patet. Causa, cur in Codice C. J. C. non reciprocum hoc legi possit principium, est, quia

¹⁾ Can. 733. §§ 1. 2.

²⁾ Can. 1148. § 1. Cf. can. 1002., 1257., 1259., 1261.

³⁾ Decr. Unionis Graec. in Bulla Eug. IV. „Laetentur coeli.“ Dd. 6. VIII. 1439. § 4. V. Denzinger, l. c. pag. 200. p. 587.

⁴⁾ Can. § 955. 2.

⁵⁾ Can. 961. Cf. can. 966. et 1006.

Codex C. J. C. non disciplinam ordinare voluit Ecclesiae Catholicae orientalem¹⁾). Hanc eandem rationem, quae ex dictis duce sana ratione logicisque cogitandi legibus iure merito concludi potest et debet, per partes, cum facile intelligatur, proponere supervacaneum putamus.

Benedictus XIV in Bulla „Etsi pastoralis“ notavit adhuc, candidatum, qui sine speciali Sedis Apostolicae indulto se ab alterius ritus episcopo ordinari curaverit, perpetuae subesse suspensioni²⁾).

2. Vetitum est sacerdotibus ritum proprium commutandi. Et quidem vetitum habeatur tum quaevis ex ritu altero in alterum permutatio³⁾), tum quaevis praescriptorum ritus transgressio⁴⁾).

Commutationi ritus ante Codicis editionem poena inflictata erat suspensionis⁵⁾).

3. Sacerdos ritus orientalis sacrificium Missae in pane conficiat fermentato⁶⁾), occidentalis in azymo, quod omnibus

1) Cf. can. 1.

2) Bened. XIV „Etsi pastoralis“, 26. V. 1743. § 9. p. 9.

3) Can. 98. §. 2.

4) Can. 733. §§ 1.2. Cf. can. 1148. § 1.

5) S. Congr. Inquis. 1644. 6. III. — Bened. XIV in Bulla citata, § 2. 14. Idem in Const. „Allatae sunt“, § 9. Sacerdos graecus, qui ritu latino celebrare praesumpserit, item sacerdos latinus, qui graeco ritu idem facere ausus fuerit, suspensioni subiciatur perpetuae. V. S. Pii V. Bullam „Providentia“. Ordinationes legum ecclesiasticarum comparatae iisdem, quae in novo Iuris Canonici Codice explicite tradita sunt, probant, quaestionem hanc duce Codice Novo eodem modo solutam esse, quam tempore Bullarum prius citatarum. Licet enim suspensio perpetua formaliter non impressa fuerit, tamen variationem rituum talem stricte vetitam esse, legentibus patet. Referri hoc non tantum ad immolationem sacrificii Missae, sed ad ipsam etiam Sacramentorum administrationem, aequè certum est. Et licet administratio formaliter non contineatur in suspensione perpetua, tamen permutatio praescriptorum diversorum rituum strictissime vetita censenda est, cum ratio et finis praecepti eadem sint. Poenam itaque involveret inoboedientibus immentem severam. Huc pertinent et ipsa Ecclesiae Sacramentalia, quia haec ad essentialia ritus spectant. Absolute itaque incorrecte, consequenter male agerent sacerdotes orientales, sepeliendo latini ritus demortuos secundum eorundem ritus disciplinam, quod sibi vetitum esse quisque sciat.

6) Panis apud nos in immolando Missae sacrificio usitatus dicitur prosphora, a προσφραειν; ex farina tritici aqua pistus, admixto saleet adhibito fermento. Cf. Dr. Russnák: De sacrificio Missae Orientalium (A keleti, egyház miséi). Budapestini, 1915. pag. 160.

strictae mandata Ecclesiae. „In Missae celebratione sacerdos, secundum proprium ritum, debet panem azymum, vel fermentatum adhibere ubicunque Sacrum litet“¹⁾.

¹⁾ Can. 816. — Eug. IV „Laetentur coeli“, a. 1439. — Benedictus XIV „Etsi pastoralis“, a. 1742. sub II. Cf. S. Alphonsi de Lig.: Theol. Mor. Lib. 6. Tr. 3. Cap. 1. dub. 3. p. 202-203. Ratisbonae, a. 1880. „Perinde est ad valorem sacramenti sive panis sit azymus, sive fermentatus, ut definiuit Tridentinum; quia uterque est usualis et proprie dictus panis. Interim in suis ecclesiis Latini in azymo, et Graeci in fermentato conficere tenentur sub gravi praeepto et culpa mortali, a qua non excusat necessitas, v. gr. dandi Viaticum... Est commune... Sic enim tradidit Concilium Florentinum in decreto ad Armenos § 2. Definimus, in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque iuxta ecclesiae suae sive occidentalis, sive orientalis consuetudinem. Hinc noster ss. P. Benedictus XIV in constit. super ritibus Graecorum edita a. 1742. „Etsi pastoralis“, § 6 n. 10. sub poenis perpetuae suspensionis a divinis confirmat prohibitionem ne Latinus aut Graecus praeter proprium ritum celebret. 203. Sed dubitatur, 1. an Latinus in locis Graecorum possit celebrare in fermentato, et Graecus in locis Latinorum in azymo. Conveniunt DD., quod si inter Graecos inveniatur ecclesia Latinorum, in qua Latinus ritus servatur, sacerdos Latinus debeat consecrare in azymo, et sic econtra... Communiter et probabilissime... omnes... docent, Latinum tunc posse celebrare sive in fermentato sive in azymo, in fermentato, iuxta doctrinam d. Augustini (Ep. 54. cap. 2.), ubi sic ait: Nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam, ad quamcunque forte devenerit. Potest enim celebrare in azymo; tum quia, etsi bene facit, qui morem regionis, ubi reperitur, sequitur, ad id tamen non tenetur...“ Auctoritati innixi S. Alphonsi (S. poenit. 3. VII 1831. a Greg. XVI. confirm. V. Müller, Theol. Mor. t. 1. pag. 22. — Noldin, De princ. pag. 289. d. 252. sub. 2), sententiae libenter subscribimus asserenti, locis exclusive sive graeco ritui dicatis, sive latino, sacerdotes non ritus sui usum inveniunt, ibique transitorie commorantes secundum praescripta ritus ibidem inventi celebrare posse respectu panis azymi vel fermentati propria, consequenter orientalem in pane azymo, occidentalem in fermentato.

Talem exceptionalem videre licet in agendi ratione characterem Basilitarum Grotta-Ferrata habitantium, qui „Missam lingua graeca ritu tamen et amictu latino ac azymo celebrant, per specialem tamen Bullam privilegium obtinuerunt, ut Missam etiam ritu graeco et in fermentato celebrare possint.“ Epist. Card. Kollonich ad Clementem XI, 11. VII. 1705 missa. Id est, privilegii ratio censenda est non actus hic subsequens, sed Missa latina et in azymo. (V. Nilles, Symbolae, p. 51.) Benedictus XIV, tamen monachos Grotta-Ferrataenses privilegio dicto, posse illos ritu etiam latino celebrare, 20. IV. 1751. orbavit. (V. Princ. Maxim., Prael. de Lit. Orient. Freiburg, 1908. pag. 6.)

Administrationem SS. Eucharistiae Sacramenti Canon ordinat sic sonans: „Can. 851. § 1. Sacerdos sacram communionem distribuatur azymo pane vel fermentato, secundum proprium ritum. § 2. Ubi vero necessitas urgeat nec sacerdos diversi ritus adsit licet sacerdoti orientali qui fermentato utitur, ministrare Eucharistiam in azymo, vicissim latino aut orientali, qui utitur azymo, ministrare in fermentato; at suum quisque ritum ministrandi servare debet“¹⁾).

Canon citatus expresse solvit quaestionem pro graeci et latini ritus catholicis in America a S. Congr. de Prop. Fide anno 1914. compositam interimaliter²⁾).

4. Can. 823. ita sonat: „Can. 823. § 2. Deficiente altari proprii ritus, sacerdoti fas est ritu proprio celebrare in altari consecrato alius ritus catholici, non autem super Graecorum antimensis“³⁾).

Canon citatus ordinat explicite, sacerdotibus super altare alterius ritus licitum esse Sacrum litare, si fuerit consecratum. Quapropter sacerdos orientalis in altari consecrato latino ritu, et vicissim sacerdos occidentalis super consecrato ab episcopo orientali ritu catholico licite possunt liturgisare. Ex quo sequitur, illuc, ubi altare consecratum fuerit orientalium, a sacerdotibus latinis altaria sic dicta portatilia non esse portanda. Patet ex principali canonis 823. ordinatione, contenta §-o 2-a.

Canon citatus formaliter interdicit sacerdotibus latinis super

¹⁾ Can. 851. §§ 1. 2.

²⁾ Decretum S. Congreg. de Prop. Fide citatum legi potest in Act. Ap. Sedis, Num. 14. anni 1914. Decretum hoc mutuam graeci ritus et latini catholicorum relationem iuridicam pro decennio composuit ita, ut casu necessitatis, absente alterius ritus sacerdote, SS. Eucharistiae Sacramentum possit a sacerdotibus graeci ritus administrari Sacramento in azymo confecto, et vicissim a sacerdote latino possit conferri in Sacramento super fermentatum confecto, adhibito tamen ab alterutro ritu semper proprio. Decretum S. Congreg. de Prop. Fide citatum, lucem aspiciente Codice C. J. C., pontem quasi format inter canonem ipsum ordinationemque pro Americanis tunc temporis latam. Quod tunc interimaliter tantum et exceptionaliter factum est, canone hoc sancitur posthinc pro semper. Adnotandum tamen hodie quoque servandum, quod canon dicit: „ubi necessitas urgeat“. Excipi non nisi casus ille posset, ubi agendi ratio talis perantiqua iam est, vel immemorialis, vel adminus centennaria. Cf. can. 5.30. Tali in loco „necessitas“ non exigitur.

³⁾ Can. 823. § 2.

antimensiis¹⁾ nostris Sacrum litare. Ordinatio canonis renovata habet hac in re ea, quae in Bulla continentur Benedicti XIV „Etsi pastoralis“ dicta. Decretum canonis simplicem continet oboedientiae ordinem, in praxi adamussim servandum. Vicissitudinem mutuamque prae oculis habendo disciplinarum diversarum ordinem, aequum et iustum apparet id, quod — qua directivum servandum rogandum est a nobis in futurum, ut facta disciplinae canonumque Ecclesiae Catholicae orientalium codificatione, id canone stabilisetur vicissim servandum, ita nempe, ut sacerdotibus orientalibus canone vetitum sit super dictis celebrare altaribus occidentalium portatilibus. Aequalitati rituum diversorum innixi, sententiam profitemur, sacerdotibus ritus orientalis catholicis stricte vetitum esse sacras super altaribus portatilibus celebrandi Missas, siquidem id agendi super antimensiis sacerdotibus occidentalibus positive interdictum est. Nemo tamen subiectivum sententiam intelligat nostram, siquidem haec est ordinatio ipsius S. Sedis Apostolicae, quae in responso per S. Congreg. de Prop. Fide 15. III. a. 1901. ad episcopum Satmariensem misso, quaestionem hanc plena reciprocitate solvebat ordinando, sacerdotibus occidentalibus super altaribus portatilibus, orientalibus vero super antimensiis litandum esse²⁾.

¹⁾ Antimensium, antimenzion, vel ἀντιμήσιον. Linteum quadratum, cui imago Christi sepulchro impositi et mediorum passionis Dominae impicta est, Linteo tali episcopus ipse in personass. insuit reliquias, quae consuetudinis tenent rationem antiquissimae, sacras solum super martyrum reliquiis litatas fuisse olim liturgias. Antimenzione utimur hodie in templis, quorum altare non ab episcopo fuerit consecratum „Κυρίως δὲ ἐπ’ ἐκείνων τῶν τραπεζῶν τίθενται τὰ ἀντιμήσια, ὡς καθιέρωσις οὐχ ἡγίασεν“. Ita Blastarus, in Σύνταγμα τῶν θείων καὶ ἱερῶν κανόνων. — Ἐν Ἀθήναις, 1852-1859. VI. 81. Itaque in templo, per episcopum solemniter praescripta celebritate consecrato, antimenzion adhiberi non debet. Impedito tamen in cosecrandis altaribus episcopo saepissime, in supplementum consecrationis ab antiquissimis inde iam temporibus adhiberi solent antimenzia. Ubi quae ergo altare consecratum defecerit, ibi non adhibito nullatenus Missam celebrare licet antimensio. „Οὐδὲ ἔξεστιν ἐν ἀκαθιερώτῳ ναῷ χωρὶς ἀντιμησίου ἱερουργίαν γενέσθαι ποτέ“. Resp. Joannis Cret ex saec. XII. in Ath. Synt. V. 414. Ex quo sequitur, antimenzia in ritu orientali usitata non aliud quid esse, quam in ritu occidentali altaria portatilia. In utrisque enim ss. habentur reliquiae. Cum ergo tum altaria portatilia, tum antimenziona nostra sacris ornata sint reliquiis, optimum nobis videtur, solemnibus hac in quaestione vicissitudinis declaratio, in qua spiritus pateret s. Unionis charitatisque mutuae.

²⁾ Decr. S. Congreg. de Prop. Fide, dd. 15. III. 1901. ad episcopum Satmariensem.

Addendum tamen est, in casu necessitatis licite adhiberi altaria a sacerdotibus diversorum rituum posse vicissim. Id est, casu quo quis in territorio puta iter faciēdo non altare secundum proprium ritum haberet consecratum, videlicet sacerdos latinus non haberet copiam altaris portatilis, graecus vero antimenzione caretet. tunc possunt altaria alterius ritus adhiberi, id est sacerdos graecus super altari portatili, latinus vero super antimenzione Missam celebrare¹⁾.

5. Respectu Sacramenti Confirmationis sequentia sunt notanda.

Primo citandum iudicamus canonem ipsum, de Sacramento Confirmationis disponentem. „Can. 782. § 1. Ordinarius Confirmationis minister est solus Episcopus. Extraordinarius est presbyter, cui vel iure communi vel peculiari Sedis Apostolicae indulto ea facultas concessa sit. § 4. Presbyter latini ritus, cui vi indulti haec facultas competat, confirmationem valide confert solis fidelibus sui ritus, nisi in indulto aliud expresse cautum fuerit. § 5. Nefas est presbyteris ritus orientalis, qui facultate vel privilegio gaudent, confirmationem una cum baptismo infantibus sui ritus conferendi, eandem ministrare infantibus latini ritus“²⁾.

Canon citatus tria complectitur legis principia. Primum est, ministrum Sacramenti Confirmationis ordinarium esse solum episcopum, extraordinarium sacerdotem simplicem. Principium secundum ipsam declarat rationem fundamentalem, cui facultas sacerdotum simplicium respectu administrandi Sacramenti Confirmationis inhaereat. Tertium demum limites sacerdotum orientalium et occidentalium in agendo declarat servandos.

De principio primo nihil ultra loquendum est nobis; est enim doctrina catholica, ab omnibus fide profitenda. Maioris momenti quoad praxim dicenda sunt principia secundum et tertium.

¹⁾ Iuxta praescriptum Ecclesiae Catholicae originetenus latum orientale, antiquitus super unoquoque altari quotidie unum tantum fas erat litandi Sacrum. V. Leonis X, Constit. „Accepimus nuper“. Benedicti XIV. „Demandatum“. § 8. Praeceptum hoc apud nos nullibi, vi consuetudinis contrariae, abolitum censendum esse patet. Si tamen alicubi generaliter adusque conservatum illud esse patuerit, ibi vim obligatoriam illi inesse tenendum esset.

²⁾ Can. 782. §§ 1. 4. 5.

Ratio, vi cuius presbyteri qua administratores Sacramenti Confirmationis teneantur extraordinarii, duplex in canone ponitur: altera lex communis, sive ius commune, altera speciale Sedis Apostolicae indultum. Enucleatio canonis dicta officiosum continet in se responsum quaestioni, utrum indultum confirmandi alios simplici sacerdoti tribuendum ad iura pertineat Summi Pontificis absolute primatialia, an ex caractere prosequantur episcopali. Paragraphus canonis citati secunda clare distinguit inter ius commune et indultum S. Sedis Apostolicae speciale. Ex quo sequitur, respectu quaestionis de communicando presbyteris administrandae Confirmationis iure differentiam esse inter indultum S. Sedis Apostolicae expressum et facultatem vi iuris communis alicui tributam. Pro praxi ergo notandum, S. Sedem Apostolicam ius hoc sibi lapsis nonnisi saeculis retinuisse. Sententiam hanc profitetur Cl. Perrone. „Ex his omnibus documentis patet, semper in utraque ecclesia, orientali et occidentali, spectatum fuisse episcopum velut ordinarium Confirmationis ministrum, cui nempe ex officio ac proprio iure competit illud administrare, presbyteros vero nonnisi ex episcoporum auctoritate et delegatione, donec iure novo haec delegandi facultas, saltem in Occidente, solis Romanis Pontificibus reservata est“¹⁾. Idem auctor docet ulterius: „Tridentinam synodum... minime perstrinxisse probatam graecorum et orientalium praxin, apud quos generali quadam dispensatione presbyteri delegati praeconciuntur ad sacramentum istud administrandum, vel potius retentum apud ipsos semper fuit antiquum ius, numquam a S. Sede sublatum, iuxta quod poterant episcopi presbyteros delegare ad conferendam Confirmationem.“²⁾ Immo explicite docet, agendi rationem circa ius administrandi aliquando Sacramenti Confirmationis eandem fuisse in Ecclesia etiam Occidentali, qualem hodie invenire licet in Ecclesia Orientali. „Olim iure poterant episcopi etiam in occidentali Ecclesia presbyteros ad consignandum (confirmandum) delegare“³⁾.

Distinctio in §-o secunda canonis citati contenta explicitam complectitur disciplinae Ecclesiae Orientalis et Occidentalis differentiam. Iuxta disciplinam Ecclesiae Catholicae orientalem fundamentum committendae facultatis ius est commune, in discip-

¹⁾ Perrone, Praelect. Theol. Ratisbonae, 1855, t. 8. pg. 90 p. 53.

²⁾ Ib. pg. 88. p. 47.

³⁾ L. c. p. 48.

lina Ecclesiae Catholicae occidentali basin hanc speciale constituit S. Sedis Apostolicae indultum¹⁾).

Principio de ratione communicandae presbyteris potestate administrandi Confirmationem, intime nectitur tertia hac in quaestione regula, modum et limites in agendo presbyterorum discernens. Paragraphus 4. canonis 782. de presbyteris latinis haec habet: „Presbyter latini ritus, cui vi indulti haec facultas competat, confirmationem valide confert solis fidelibus sui ritus²⁾. Ex quo sequitur, presbyterum latinum, etsi indulto S. Sedis Apostolicae speciali praeditum, Sacramentum Confirmationis fidelibus ritus orientalis invalide conferre. Assertum certum est, nec in dubium vocari potest. Patet ergo, sacerdotem latinum fidelibus orientalibus Sacramentum Confirmationis nullatenus administrare posse, nisi facultas haec sibi a Romano Pontifice explicite data fuerit. Prosequitur enim canon: „nisi in indulto aliud expresse cautum fuerit“,

Paragraphus 5. canonis prociatati presbyteros attinet ritus orientalis.³⁾ His enim vi canonis explicite vetitum est: „NE-FAS“ confirmare fideles latini ritus, ex quo sequitur administrationem stricto sensu illicitam esse, ergo in se non invalidam. Itaque concludendum est, administratum nefors fidelibus latini ritus per graeci ritus sacerdotem Sacramentum Confirmationis validum, licet illicitum esse. Quia administratio Sacramenti Confirmationis per sacerdotem orientalem ex quacunque causa facta fidelibus latinis illicita quidem, sed valida est, talem agendi rationem pro rei gravitate absolute vetitam esse sacerdotibus graecis nemo non videt. Eo vel magis, quia si fidelis ita „a presbytero orientali confirmatus latini ritus suo tempore cum aliis episcopo proprio praesentatus fuerit confirmandus, Sacramentum Confirmationis iteraretur, pro qua iteratione, canonibus strictissime vetita⁴⁾, presbyter causam respondere habebit orientalis. Regula ergo directiva haec sit omnino, presbyteris suos (sui nempe ritus) licitum esse tantum confirmare fideles, videlicet

¹⁾ Cf. tractatus Dris Russnák de Sacramento Confirmationis in foliis „Religio“, Budapestini, a. 1908. Nr. 12. 13. communicatos.

²⁾ Can 782. § 4.

³⁾ V. pag. 70. in princ.

⁴⁾ Can. 732. — Cf. can. Conc. Laodic, 7. et 48. V. Euchologion, Lwiv 1873. pag. 29.

graecis fideles solummodo ritus orientalis, hosque etiam non nisi intra terminum unius anni cum uno die, prout regula tenet universim servata, quo tempore elapso ad illos confirmandos speciali indigebit episcopi proprii indulto. Quapropter attendendum est, ut infantes ex casu necessitatis per sacerdotem latini ritus catholicum baptisati, intra determinatum tempus, sibi praesententur Sacramento Confirmationis initiandi. Ex quo correlativa sequitur presbyterorum latinorum obligatio, in conscientia gravem sibi imponens necessitatem, casu quo ex urgentissima infantem baptisaverint ritus orientalis causa, parentes stricte et debite a se admonendos esse, ut puerulum proprio praesentent parochi confirmandum. Obligationem hanc presbyteris latini ritus in conscientia stricte adhaerentem eo vel magis gravem esse affirmandum est, secus enim si tales Sacramento Confirmationis nefors omissio decesserint, sibi esse respondendum coram Deo sciverint.

Disciplina de presbytero tanquam extraordinario Sacramenti Confirmationis administratore poena terminatur in canone 2365. exposita. „Presbyter qui nec a iure nec ex Romani Pontificis concessionem facultatem habens Sacramentum Confirmationis ministrare ausus fuerit, suspendatur: si vero facultatis sibi factae limites praetergredi praesumpserit, eadem facultate eo ipso privatus existat¹⁾).

6. De Sacramento Confessionis explicite canon agit numero 905. „Cuius integritas est confessario legitime approbato etiam alius ritus, cui maluerit, peccata sua confiteri.²⁾ Exinde sequitur, sacerdotes cuiuscunque ritus catholicos posse omnium, qui se confitendi causa quaesiverint, exaudire cuiuscunque ritus poenitentium confessiones. Canon citatus explicite probat tum usum hucusque servatum ab omnibus generaliter, tum renovat decreta hac in re ab Ecclesia sapientissime sancita tam diu.³⁾

¹⁾ Can. 2365., de quo tamen notandum est, illum vi can. 1. ad orientales nondum esse formaliter extensum.

²⁾ Can. 905.

³⁾ Disciplinam hanc prius fuisse aliam historice probare nititur Hierotheus presbyter in Pidalione, Użhorod, a. 1902. pag. 13. sub 2. Disciplina tamen Ecclesiae Catholicae hodierna paritati innititur perfectae libertatique hac in re conscientiae, usui item atque consuetudini generalibus, licentiam omnibus cuique ipsi secreta sua pandere voluerint confessario atque facultatem dantibus. Cf. Noldin, De praec. pg. 280. p. 266.—S. Congreg. de Prop. Fide decreto dd. 12. VI. a. 1835. lato dicit, principium S. Sedis Apostolicae fuisse semper, libertatem christifidelium in quaestione delicata, qualem s

7. Administratio Sacramenti Extremae Unctionis ex canone. 738. §-o 2-a ad iura pertinet parochorum. In casu necessitatis tamen a quocunque administrari poterit sacerdote, quo decreto agendi ratio sanctionem accepit legelem hucusque usitata. „... minister ordinarius (Sacramenti Extremae Unctionis) est parochus loci, in quo degit infirmus, in casu autem necessitatis, vel de licentia saltem rationabiliter praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii loci, alius quilibet sacerdos hoc Sacramentum ministrare potest ¹⁾).

Cum §-o 2-a can. 733. ordinetur, sacerdotes Sacramenta secundum proprii ritus debere administrare statuta, certum est, Sacramentum hoc a quocunque sacerdote ita conferendum esse, prout modo a proprio praescriptus fuerit ritu ²⁾).

8. Respectu Sacramenti Matrimonii quaestio ex parte sacerdotum variorum rituum catholicorum canone ordinatur 1097 §-o 2-a. „Matrimonia mixti ritus, nisi aliud iure cautum sit, in ritu viri et coram eiusdem parochi sunt celebranda ³⁾).

Secundum regulam canonis citati universalem, ius benedicendi matrimoniis fidelium diversi ritus copulandorum ad parochum pertinebit sponsi proprium. Cum tamen canon explicite addat: „... nisi aliud iure cautum sit“, canon vero 5 expresse statuit: „... vigentes in praesens contra horum statuta canonum consuetudines sive universales sive particulares..., quae quidem centennariae sint et immemorabiles, tolerari poterant, si Ordinarii pro locorum ac personarum adiunctis existiment eas prudenter submoveri non posse“ ⁴⁾), dignissimi vero tunc tempo-

praepremis tenueris Confessionem, nullatenus limitandam esse, velleque atque voluisse semper, ut omnes corda sua cuicumque expandere possint confessario, illi nempe cui magis confiderint. S. Congreg. dicta respectu libertatis, in prioribus enucleatae, dicit, eam tam illimitatam esse, quae ex voluntate S. Sedis Apostolicae a nullo unquam arctari valeat dioecesanorum episcopo. His positis sententiam hac in re erroneam dicendam esse patet tum Hierothei (u. pg. 13. 2.), tum Dris Tauber (Man. Jur. Can. Sebariae, 1908. pg. 144). Error dictorum decreto innititur false interpretato articuli dd. 4. X. 1814. sub Nro 23034. civilis, cuius p. 6. ita sonat: „Respectu confessionum fidelium sacerdotes utriusque ritus iurisdictionem petant a respectivis episcopis dioecesanis“. Quidquid ergo antea statutum fuerit, unum hodie certum est, disciplinam hodiernam absolutam tenere fidelium respectu confessionis libertatem.

¹⁾ Can. 938. § 2.

²⁾ Can. 733. § 2.

³⁾ Can. 1097. § 2.

⁴⁾ Can. 5.

ris DD. episcopi in Comitibus 26. IV. a. 1918 habitis rem ita ordinaverint, ut antiqua hac in re servaretur consuetudo¹⁾, apud nos facultas benedicendi matrimoniis diversi ritus sponsorum ad parochum petinebit sponsae proprium.

Cum tamen factum esset, nullatenus equidem recte, matrimonium dato caso benedictum fuisse ex titulo sponsi per sacerdotem latini ritus, innixi canonibus 1097. § 2. et 1094., respondemus, matrimonium tali modo per parochum sponsi benedictum validum quidem esse, una tamen addendum esse patet sacerdotem latini ritus ita agendo incompetenter et contra usum apud nos fecisse omnino legalem atque universalem, et demum immemoralem. Quod characterem impressit casui, circumstantia erat, quae sequitur. Parochus sponsi quaesitans accessit Ordinariatum suum, responsum efflagitans, validene ageret benedicendo matrimonio, qua parochus sponsi, an non, cum tamen ei responsum urgendum fuisset, licite ne se benedicendo actum iri, cui responsum aliud non dari potuisset, quam negativum. Casum hunc ex praxi retulimus memoriae commendandum ideo, quia sacerdos ita agens ex responso per Ordinariatum validitatem non nisi vocitavit sibi dato, in qua agendi ratione sacerdotem aculeate egisse dicendum, an vero ignorantiam in iure canonico magis adminandam esse, incerti haeremus²⁾).

9. Respectu Sacramentalium discrimen ponendum est inter iura parochorum. Thesis haec solvitur canone 462. Habita ratione praescriptorum ibidem, prae oculis habendum est axioma, in administrandis Sacramentalibus ritus servandos esse ecclesiasticos.³⁾ Sacerdotes ergo adhibendos sibi esse proprii ritus modos firmiter persuasi sint necesse est. Respectu habito iurium parochorum, specialis cura applicanda est Sacramentali ipsi. Conditionem hanc aliquando causam posse esse validitatis, vel invaliditatis actus, ex iure certum est. Posita thesi, responsum clarum est: quaedam Sacramentalia suscipienda sunt a proprio ritus sacerdote, alia vero a quocunque sacerdote licite efflagitabilia. Regulae huic conformiter explicandum est p. 8. articuli, toties a nobis citati dd. 4. X. 1814. sub Nro 23034. quod est: „Administrandi facultas benedictiones, ritus et quaecunque sa-

¹⁾ Cf. Egyházi Közlöny, Budapest, 1918. Nr. 17. pg. 164. V. Dr. Sipos: Az új egyházi törvénykönyv főbb vonásai és ujtásai. Pécs, 1918. pg. 144. n. 1.

²⁾ Cf. ord. Ordin. Presov, dd. 16. VI. 1918. sub Nro 2239.

³⁾ Cf. pag. 62... squ.

cramentalia sacerdotibus cuiuscunque ritus fidelibus alterius ritus rigore interdicitur¹⁾).

In benedictionibus simplicibus reciprocity servetur inter sacerdotes regula²⁾).

Ipsum pro administratis Sacramentalibus pretium competit ei, ad quem ius pertinet administrandi. „Licet parochiale aliquid officium ab alio fuerit expletum, praestationes tamen parochi cedunt, nisi de contraria offerentium voluntate certo constet circa summam quae taxam excedit³⁾).

10. Cum inter ritus Ecclesiae Catholicae singulos nullum dignitatis vel detur discrimen pretii⁴⁾ ideo ius praecedentiae inter variorum rituum sacerdotes censendum est secundum gradum officii vel dignitatis, de quo iam egimus.⁵⁾

11. Complementi disciplinae Ecclesiae Catholicae orientalis ratio exposcit demum, ut enucleatis quae sacerdotes respiciunt ipsos, ratio habeatur uxorum ad sacerdotes orientales ex matrimonio into pertinentium. Codicem C. J. C. quaestionem hanc ex officio propter rationes internas non pertractare, per se patet. Analogia tamen iuris statumen commendat nobis. Canone enim 1112. sequentia dicuntur: „Nisi iure speciali aliud cautum sit, uxor, circa canonicos effectus, particeps efficitur status mariti⁶⁾).

Regulam hanc respectu disciplinae Ecclesiae Catholicae orientalis referendam esse arbitramur decreto Leonis X. in Bulla „Accepimus nuper“ promulgato, quod est: „Necnon viduae presbyterorum, vel clericorum Graecorum, in castitate iuxta ritum Graecum viventes, iisdem immunitatibus, exemptionibus, privilegiis, quibus viventibus eorum viris presbyteris seu clericis gaudere poterant, gaudeant et fruantur modis, scientia et potestate pariter, concedimus, discernimus et declaramus⁷⁾).

¹⁾ Decr. citatum v. apud Darday, l. c. pg. 94.

²⁾ Cf. can. 1146.

³⁾ Can. 463. §. 3.

⁴⁾ Cf. § 6. pag. 56.

⁵⁾ V. pag. 57. Addimus can. 106. p. 3. „Inter diversas personas ecclesiasticas quarum nulla habeat in alios auctoritatem: qui ad gradum potentiorum pertinent, praecedunt eis, qui sunt inferioris gradus, inter eiusdem gradus personas sed non eiusdem ordinis, qui altiorum ordinem tenet, praecedunt eis, qui in inferiore sunt positi.

⁶⁾ Can. 1112.

⁷⁾ Leo X, „Accepimus nuper“, dd. 26.V. 1521.

Exinde deducitur axioma, relationem uxorum sacerdotum Graecorum vel clericorum iuridicam aptandam esse statui sacerdotum sive maritorum clericorum iuridico, illique admodum similem, immo ex decreto Leonis X aequalem esse.

§ 8. Relatio fidelium variorum rituum catholicorum ad seinvicem

Regula iuris fidelium diversorum rituum erga se relatorum catholicorum altera ipsos respicit fideles singulos. Innixi statutis Codicis C.J.C. novi sequentia notamus.

Vita spiritualis catholicorum diversorum rituum interna ordinatur ita, ut ratio habeatur circumstantiarum ordinarium item ac extraordinarium. Principia exhinc texanda sunt bina, habita nempe ratione circumstantiarum relationis ordinariae aut extraordinariae.

1. Basis, cui inhaerendo Codex relationis ponat regulas, ipsa ordinatio est quaestionis, cuiam aliquis pertineat ritui. Praepriis itaque iuridice statuendum est, cuiusnam ritus sint catholici Codex C.J.C. respectu quaestionis dictae duo complectitur decretorum cardinalia. Fundamentum prioris est factum baptismi ipsius certo ritu administrati, basis vero alterius determinatio quaestio nis est, cuiusnam ritus sit aliquis catholicorum legitime.

a) Cum per baptismum, qui ianua est Sacramentorum Novi Testamenti,¹⁾ Ecclesiae Catholicae membra efficiamur²⁾, rationale omnino videtur, administrationem huius fundamentum constituere variarum iuris ecclesiastici relationum. De his canon agit 756.

„Can. 756. § 1. Proles ritu parentum batizari debet. § 2. S alter parentum pertineat ad ritum latinum, alter ad orientalem, proles ritu patris baptizetur, nisi aliud iure speciali cautum sit. § 3. Si unus tantum sit catholicus, proles huius ritu baptizanda est“³⁾).

Ordinatio canonis citati radicalis est, statuens proles in ritu parentum baptizandas esse. Sapientissime, nam proles parentibus adhaerent non tantum quoad generationem carnalem, sed nectuntur iisdem quoad relationem etiam spiritualem⁴⁾. Re-

¹⁾ Can. 737. Cf. can. 732.

²⁾ Can 87.

³⁾ Can. 756. §§ 1. 2. 3.

⁴⁾ Cf. Dr. Demkó: A gyermekek vallása. Budapest, 1897. pg. 4.

gula haec generalis directivum complectitur universale adeo, ut in texanda ritus stabilisatione huic innitatur § 1-a canonis etiam 98-i. Canon dictus explicite ordinat, fundamentum quaestionis, cuinam quis adhaereat ritui, ipsum esse baptismi administrati ritum. Can. 98. § 1: „Inter varios catholicos ritus ad illum quis pertinet, cuius caeremoniis baptizatus fuit“¹⁾).

Nexum canonum 98. et 756. internum primo obtutu patere clarum est. Canones enim dicti unum complectuntur principium ea tamen ratione, ut basis canonis 98. ipsae sint leges ecclesiasticae in praxi secundum spiritum Ecclesiae et ordinationem canonum rite applicatae, canon vero 756. ipsas complectatur ordinationes canonum explicitas. Respectu quaestionis: „prius et posterius“ patet, canonem 756. praefendum esse. In ipso enim regulam spectabis quaestionis huius iuridicam, dum canon 98. ipsam complectatur ex canone 756. in praxin deducto explicitam iuris applicationem. Ut terminis ex Theologia Morali utamur mutatis, canon 756 signari posset nomine conscientiae rectae et praecipientis, dum canon 98. nomen mereatur conscientiae certae.

Dicta insinuari debent inomisse, quia citare canonem 98. — nulla habita ratione reliquorum, qui in re lati fuerint canonum, — iniustum esset actioque partium studium redolens, atque spiritui Codicis e diametro opposita. Patet ex ipso canone 98., in quo proposita facti enucleatione sequuntur legenda: „...nisi forte baptismus a ritus alieni ministro vel fraude collatus fuit, vel ob gravem necessitatem, cum sacerdos proprii ritus praesto esse non potuit.“²⁾ Ex his patet, thesin canonis citati (98.) primam legum efferre conservationem, noleque directricem agere independentem. Principium hoc adeo clarum iustumque est, ut versiculis canonis pro citati §-um primam terminantibus expresse notetur, canonem 756. regulam complecti clare circumscriptam et accurate, quae dispensari Apostolica non nisi valeat potestate. „...Nisi forte baptismus a ritus alieni ministro... collatus fuit... ex dispensatione apostolica, cum facultas data fuit, ut quis certo quonam ritu baptisetur, quin tamen eidem adscriptus maneret.“³⁾ Textus itaque §-i primae canonis 98. completus clare docet, ritus administrati hoc modo baptismatis questionem, cuinam numerandus sit respectivus tunc tantum iudicio solve, si omnia

¹⁾ Can. 98. § 1.

²⁾ Ib.

³⁾ Can. citatus.

in canone 756. perfecte servata fuerint praescripta. Nam si baptismus per alterius ritus administratus fuerit sacerdotem, intellige casum necessitatis, vel ipsam S. Sedis Apostolicae dispensationem, vel demum cum intentione administratus fuerit alios in errorem ducendi, — celebratio baptismatis, facta licet ab alterius ritus sacerdote, quaestionem nullatenus solvit iuridicam, cuiam adhaerendum sit ritui.

Quaestio tamen poni potest, curnam canones dicti tali ordine in Codice contineantur sibi insequente? Respodendum est, causam numerandorum ita canonum ipsam esse constitutionem Codicis internam, quae generalia prius exponit legum principia, specialibus subseque et posthinc pertractatis. Haec est causa, cur thesis in canone 98. prius exponatur generalis specialis vero principiorum ratio in canone legatur 756., explicitas nempe exponendo de baptismo regulas.

Si quis canonem, nullo habito respectu canonis 756, voluerit explicare 98-um, erroris accusandus esset, spirituique Codicis alienus.

b) Codex canonum novus in diiudicando cuiuscunque ritui, praeter adhibitum in administrando sacramento baptismi ritum externum, ostendit ipsum etiam in ahaerendo ritui principium. Regula haec clare leditur in §§-is canonis 98-i secunda et tertia.

„Can 98. § 2: Clerici nullo modo inducere praesumant sive latinos ad orientalem, sive orientales ad latinum ritum assumendum.

§ 3. Nemini licet sine venia Apostolicae Sedis ad alium ritum transire, aut, post legitimum transitum, ad pristinum reverti“. Canon itaque citatus summam complectitur regulam, proles ritus orientalis catholicorum debere esse orientales, infantes vero parentum occidentalium debere manere occidentales. Solvitur ergo quaestio cuiam ritui adscribendus sit quisque, ipso ritus parentum facto, in quo normam videbis non tantum facti, sed ipsius etiam principii iuris explicandi.

b) Regulae in prioribus explicatae modulationes adnectendae sunt quaedam ex vita practica desumptae. Principium tale primum paragraphus complectitur canonis 756 prima¹⁾.

Nunc sequuntur modulationes practicae.

¹⁾ Cf. pag. 78.

„Si alter parentum pertineat ad ritum latinum, alter vero ad orientalem, proles ritu patris baptisetur, nisi aliud iure speciali cautum sit“¹⁾).

Dispositio Ecclesiae Catholicae hac in re universalis brevis est et clara. Proles parentum diversorum rituum ritum sequantur patris. Principium dictum nota explicatur canonis: „nisi aliud iure speciali cautum sit.“ Quia praxis in Slovakia et Podkarpatska Ruthenia legem Ecclesiae Catholicae confirmat servatam universalem, notam legis citatam nullam facere hac in re modificationem, clarum est. Aliud dicendum de Čechia et Moravia, ubi iure speciali cautum est, proles parentum diversorum rituum catholicorum ritum sequi parentum suorum secundum ipsum eorundum sexum, id est masculos ritum patris, femellas vero ritum matris.

Habita ratione relationis Codicis J. C. ad nos, quaestio determinandi ex diversorum rituum parentibus nascentiarum prolium ritus, decernenda est secundum principia in prioribus proposita explicita, quorum essentiam constituit thesis: ritum sequendum esse patris.

Ut canon compleatur 756., paragraphum citandam esse canonis 3-am patet.

„Si (parentum) unus tantum sit catholicus, proles huius ritu batizanda est“²⁾). Ita omnino, quia parens catholicus iure pollet nativo et naturali, ut proles sua membrum fiat Ecclesiae verae, seu fidei catholicae. Doctrina enim Ecclesiae Catholicae de matrimoniis sponsorum diversarum confessionum ea semper fuit, cuius tenor in canonibus legi potest: matrimonia illa nempe omnino vetita esse³⁾ unice nonnisi tolerabilia sub conditione si catholica prolium omnium educatio omni, qua possibili certiorata fuerit modo⁴⁾).

c) Mutationem ritus canone 98 §-o tertia ordinari patet, quam Apostolicae Sedi reservatam esse docet canon⁵⁾).

Quoad praxin notandum esse vellemus, Ecclesiam Catholicam, reservando mutationem ritus directe ipsi S. Sedi Apostolicae, canone citato principium sanxisse dudum a Leone XIII in-

¹⁾ Can. 756. § 2.

²⁾ V. pag. 78. Can. 98. § 3.

³⁾ Can. 1060.

⁴⁾ Can. 1061. 1. § 2.

⁵⁾ Cf. pag. 56.

Bulla „Orientalium dignitas“ proclamatum, quod sequens est. „Quicumque orientalis extra patriarchale territorium commorans sub administratione sit cleri latini, ritui tamen suo permanebit adscriptus, ita ut nihil diuturnitate, aliave causa ulla suffragante, recidat in ditionem Patriarchae, silmul ac in eius territorium revenerit“¹⁾. Verba Romani Pontificis directivam complectuntur casui solvendo iuridice, quando quidam ideo mutari petiverint ritum suum orginalem, quia—profitentibus se—procul habitando a ritus sui experientia, non spiritu imbui poterant ritus proprii. Qua de causa rationem ritus mutandi enucleatam vix ac ne vix quidem seriam veramque censendam esse arbitramur maxime casu, quando quis 1-2 Kilometris distando habitaverit a ritus originalis magistro, eo vel magis, si parochum proprii ritus habuerit in ipso, ubi habitat, loco. Verba ergo Romani Pontificis nobis etiam inculcanda sunt sacerdotibus, eiusque tum latini tum graeci ritus presbyteris, quaestionis eiusmodi ritus mutandi causam nullatenus emolumentum esse posse saeculare, utpote Deo et Ecclesiae Catholicae summopere odiosum²⁾.

In quaestione ritus mutandi § 4-a canonis 98 novam ponit casus solvendi rationem. „Integrum est mulieri diversi ritus ad ritum viri, in matrimonio ineundo, vel eo durante, transire: matrimonio autem soluto, resumendi proprii ritus libera est potestas, nisi iure particulari aliud cautum sit³⁾).

Uxor itaque, quae alterius quam maritus fuerit ritus, tum ante, tum in ipso matrimonio libere ritui adhaerere potest mariti. Oboedientiae spirituique ecclesiastico consentaneum est, mutationem tali modo considerandam proprio notificandam esse Ordinariatus.

Paragraphus canonis citata ius tribuit ritus mutandi, nullatenus tamen illum mutandum esse statuit, quapropter ordinatio canonis directiva, et nullo modo praeceptiva tenenda est. Regula canonis casus explicantur varii, de quibus in prioribus egimus, iuridici.

2) Ius fidelium petendi Sacramenta et obligationes eorundem respectu Sacramentorum correlativa sunt officiis eiusdem generis sacerdotum ipsis. Qua ratione sacerdotibus praescriptum

1) Leo XIII „Orientalium dignitas“, 1894.

2) Cf. ord. Ordinariatus Prešovensis. dd. 15. VIII. 1918. sub Nro 3109.

3) Can. 98. § 4.

est omnia proprii ritus servanda¹⁾, tali modo etiam fideles ritus sui praescriptiones tenere obligantur omnes. Correlative haec stabilita leguntur canone 733. Quae vero particulariter praescripta sunt, legi possunt in canonibus singulis Sacramentis propriis. Sic respectu Baptismatis can. 756, Confirmationis can. 787, Matrimonii can. 1097. p. 3, Extremae Unctionis can. 938.

Haec est regula generalis, cuius modulationes speciales sequentes notandae sunt.

a) Administratio Sacramenti Baptismatis in casu necessitatis peti potest etiam ab alterius ritus sacerdote. Ita can. 89, §-o prima²⁾. Complementi instar explicitam addimus fori civilis ordinationem in decreto 4. X. 1814 sub Nro 23034 editam, quae sequens est: „Absente vel parochio impedito proprio possunt sacerdotes alterius ritus baptizare proles parentum non sui ritus fidelium, requiritur tamen, ut de re inter se consentiant extractusque parochio transmittant respectivo. Ex administrato tali modo sacramento nullatenus sequitur mutatio ritus“³⁾.

b) De illis, quae respectu Sacramentorum Confirmationis, et Extremae Unctionis adnotanda sunt, egimus iam⁴⁾.

c) Fideles possunt Sacramentum Eucharistiae secundum modum sumere alterius ritus, moti ad ita agendum privata etiam pietate. Ita in canone 866. „Omnibus fidelibus cuiusvis ritus datur facultas, ut pietatis causa sacramentum Eucharisticum quolibet ritu confectum suscipiant“⁵⁾. Communionem vero paschalem omnes secundum proprium ritum suscipere adnitantur. „Suadendum tamen, ut suo quisque ritu fideles praecepto communionis paschalis satisfaciant“⁶⁾. Viaticum nisi casu necessitatis ab alterius ritus sacerdote licite sumitur. „Sanctum Viaticum moribundis ritu proprio accipiendum est: sed urgente necessitate fas esto quolibet ritu illud accipere“⁷⁾.

Canon citatus 866. respectu SS. Communionis conceptui inhaeret hac in re omnino liberali, fundaturque aequalitati rituum absolutae. Disciplina Ecclesiae Catholicae erat antiquitus

¹⁾ Cf. pag. 56.

²⁾ Cf. pag. 78.

³⁾ Decr. Caes. dd. 4. X. a. 1814. Nr. 23034. p. 5.

⁴⁾ V. pag. 69. sub 5. et squ.

⁵⁾ Can 866. § 1.

⁶⁾ Ib. §. 2.

⁷⁾ L. c § 3.

alia. Originetenus SS. Communio suscipi potuit non nisi iuxta ritum proprium. Mox ampliatur erat ius et facultas communicandi extendebatur. Sic S. Congreg. de Prop. Fide 18. VIII a. 1898 decreto a Summo Pontifice Leone XIII confirmato concessit, fidelibus ritus sive orientalis sive occidentalis catholicis communicandi secundum ritum alterum illis in locis, ubi proprium non habuerint vel sacerdotem vel templum. Decretum hoc relate ad quaestionem tunc temporis per Bullam Benedicti XIV „Etsi pastoralis“ solutam hanc, modumque inibi contentum certissime profectus dici debet, facultatem tamen fidelium SS. Communio- nem secundum alterius ritus modum sumendi coarctat adhuc. Licitum enim erat illis tantum in locis, ubi „templum vel proprium non habuerint sacerdotem.“ Ergo ubi conditio haec deficit, ibi SS. Eucharistiam secundum ritum alterum sumendi non erat facultas. Pius tandem Romanus Pontifex X facultatem hanc extendit perfectissime, cui multum in spiritu pietatis adscribi debet fidelium omnium emolumentum¹⁾. Effectus hic vitae ecclesiasticae abundantissimus causa erat, cur canone 866. perfecta codificata esset licentia ecclesiastica. Canone dicto perfectio resplendet temporum ipsorum apostolorum, necnon summorum in Ecclesia Catholica Patrum, ex qua agendi ratione perfectissimum spiritus catholici et fraternitatis communis sperandum est emolumentum.

Facultati huic liberalis accedit canonis 851. dispositio, quam in prioribus pertractavimus iam²⁾.

Fideles catholici praecepto de audiendo diebus Dominicis et Festivis Sacro satisfaciunt modo cuiuscunque ritus catholici administrato. Sic canon 1249³⁾.

3) Respectu Sacramentalium iura fidelium eadem omnino sunt, ac ipsorum sacerdotum correlativa⁴⁾.

4) Festa celebranda sunt secundum praecepta ritus proprii, in quo nemo impediendus est. Servi et ancillae — festum celebrantes — non laboribus opprimendi sunt⁵⁾. Vi decreti ministerii

1) Acta S. Apost. Sedis, t. 4. a. 1912. pag. 609.

2) Cf. pag. 66.

3) V. pag. 56.

4) Cf. pag. 75. p. 9.

5) Innoc. IV (1243-1254), in Encycl. „Sub catholicae“ § 15. Quae in decreto Caes. dd. 4. X. 1814. in puncto 4. continentur, qua inveteratae sententiae reliquiae hodie evacuata tenenda sunt. Res novissime secundum principia soluta est practica. Cf. art. legum 43. dd. 1895. §. 1. inc. 2. — Cf. pag. 58.

cultus dd. 25. I. a. 1878. sub Nro 1906. iuventus scholaris diebus festivis Ecclesiae Orientalis ab obligatione praelectionum audientiarum soluta est. Festa haec sequentia sut: mense I. 1, 6, 30. — II. 2. — III. 25. — VI. 14 et 29. — IX. 8 et 14. — X 1. — XI. 8 et 21. — XII. 6, 25-28 — quibus accedunt dies Festivi Paschatis et Descensionis Spiritus Sancti, necnon illa Festa, quae his nectuntur¹⁾. In decreto citato et alli numerantur dies, quae tamen ad orientales pertinent non unitos, ideo omit-tenda videntur²⁾.

Fideles ritus orientalis, sparsim et non inter proprios viventes, sed in alieno degentes, festa celebrent secundum computationem latinam, item fideles occidentales, inter orientales catholicos commorantes, horum servent praescripta. Quaestio sapientissime ordinata legitur in Bulla Leonis XIII „Orientalium dignitas“, prout sequuntur: „Si qua ex dissidentibus communitas vel familia vel persona ad catholicam unitatem venerit, conditione velut necessaria interposita amplectendi latini ritus, huic ritui remaneat ea quidem ad tempus adstricta, in eius tamen potestate sit ad nativum ritum catholicum aliquando redire. Si vero eiusmodi conditio non intercesserit, sed ideo ipsa communitas, familia, persona a latinis presbyteris administretur, quia desint orientales, regrediendum ipsi erit ad ritum suum statim ut sacerdotis orientalis fuerit copia“³⁾.

5) Ieiunia item servanda sunt secundum disciplinam propriam⁴⁾.

6) Complementi instar commemoranda aestimamus quaedam fori in Čechoslovakia civilis decreta, quaestionem nostram spectantia.

¹⁾ Decreta specialia omittenda censuimus.

²⁾ Sic v. c. Corona S. Joannis Bapt., 7. I.

³⁾ Leo XIII „Orientalium dignitas“, dd. 30. XI. 1894.

⁴⁾ V. S. Congreg. Ep. et Reg., 18. IX. a. 1648. confirm. ab Innoc. X 2. I. a. 1649. Cf. Nilles, Symbolae, pag. 68. Ib pag. 60-68. — ib. pag. 92-95. „S-mus etc. facultates necessarias et opportunas ad triennium tribuere dignatus est, quibus sororibus a charitate provinciae croatico-slavonicae, quae educationi atque instructioni puellarum bulgararum Adrianopoli operam navabunt, perpetuum transitum ad ritum graeco-bulgaricum concedere easque, indulto tamen quotannis renovando, ac remoto scandalo, ab abstinentiis et ieiuniis eiusdem ritus propriis dispensare valeat, ita ut hac tantum super re praescriptionibus Ecclesiae latinae se conformare possint,“ Ib. pg. 93.

De religione libere profitenda et applicanda lex agit 26. dd. 1790-91, et quidem puncto 1¹⁾). Confirmantur haec § 1. art. 43. a. 1895²⁾).

Aequalitatem religionum receptarum et correlationem plenam complectitur art. 20. §. 2, a. 1848³⁾).

Punctum 3. art. 26. a. 1790-91. evangelistas dicit non esse ad actus catholicorum religiosos cogendos, utpote praescriptis propriis contrarios⁴⁾). Quoad omnes alias in communi idem edicitur confessiones art. 43. § 2. a. 1895⁵⁾).

Paragraphus 19. art 53. a. 1868. ordinat, neminem cogendum esse ad ritus aliarum confessionum vel festa celebranda, vel ad parcendum operibus dictis diebus. Diebus Dominicis tamen ab omnibus publicis operibus et non absolute necessariis omnino abstinendum est laboribus. Similiter in vicinitate templi cuiuscunque confessionis, item tempore processionum in illis plateis, per quas processio fit, abstinendum est ab omnibus, solemnitatem dictam impediens actionibus⁶⁾).

§ 6. Canones C. J. C. vim legis habentes in iure Ecclesiae Catholicae orientali

C.J.C. in orientales Ecclesiae Catholicae fideles formaliter nullatenus extensus est. Patet ex primo C. J. C. canone. Non obstante tamen canone citato, affirmamus plurima esse, quae in Codice J. C. contenta, normam constituunt pro orientalibus quoque christifidelibus. Patet ex ulterioribus eiusdem canonis primi verbis, in quibus legimus addita: „nisi de iis agatur, quae ex ipsa rei natura etiam Orientalem (Ecclesiam) afficiunt“. Idem ergo canon, qui docet, Codicem ad nos non esse formaliter extensum, eadem principii habent rationem tum in Ecclesia Latina, tum in Graeca.

Quaestionem nunc adgredimur solvendam illorum, quae in Codice J. C. comprehensa eundem habent in utraque Ecclesia valorem, vel potius aequae valere dicenda sunt in unius eiusdemque Ecclesiae Catholicae disciplina occidentali et orientali.

¹⁾ Darday, l. c. pag. 57.

²⁾ Ib. pag. 66.

³⁾ L. c. pg. 62.

⁴⁾ Cf. ib. pg. 58. et 66.

⁵⁾ Pag. 66.

⁶⁾ V. ib. pg. 63.

Illa, quae in C. J. C. decisa sunt effective pro universis Ecclesiae Catholicae fidelibus, sequentia sunt:

1). Codex J. C. universalem vim obligandi nanciscitur universos in omnibus, quae ad fidem catholicam et mores pertinent. Id est omnes fidei et morum articuli, qui in Codice J. C. propositi fuerint, obligant tum occidentales, tum orientales.

Ut exemplo ornemus thesin, sit canon v. c. 218. „Can. 218 § 1. Romanus Pontifex, Beati Petri in primatu Successor, habet non solum primatum honoris, sed supremam et plenam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, tum in rebus quae ad fidem et mores, tum in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent“¹⁾. Vel canon 802., qui est: „Potestatem offerendi Missae sacrificium habent soli sacerdotes“²⁾.

Dicimus ergo: quatenus canones citati veritatem enucleant fidei, vim obligandi nanciscuntur eo etiam ex titulo, quia in Codice J. C. continentur formaliter. Quia hic sermo est de principiis, argumenta depromenda esse ex fontibus principaliter theologicis, per se patet. Principalia haec argumenta sequentia sunt:

1. Resolutio Innocentii X ex conventu habito 4. VI. a. 1631., in qua sermo est de valore Constitutionum Romanorum Pontificum respectu fidelium orientalium³⁾. Idem docet Benedictus XIV, cuius verba citavimus (pag. 49), et confirmat responsum S. Congregationis Officii, 15. VII. a. 1885⁴⁾.

2. Confirmatur ex ratione et definitione dogmatis, quod veritatem exprimit universalem, atque inconcussam et ab omnibus firmiter constanterque credendam. Ita leguntur in celeberrimo Concilii Florentini decreto et ab Eugenio IV in Bulla „Laetentur coeli“ confirmato. „In nomine sanctae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti hoc sacro universali approbante Florentino concilio definimus, ut haec fidei veritas ab omnibus Christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur“⁵⁾.

¹⁾ V. pag 48.

²⁾ Can 218. § 1.

³⁾ Can. 802.

⁴⁾ V. pag. 49.

⁵⁾ L. c.

⁵⁾ Cf. Denzinger: Enchir. Symbol. et Definit.; Wirceburgi, 1865. pag. 200. LXXIII.

3. Ita docet optimae memoriae episcopus gr. ritus catholicus Josephus dr. Papp-Szilágyi dicens: „Graeco-catholici eandem cum Latinis et ceteris Ecclesiae membris tenere et profiteri debent fidem, quam ab eodem communi Ecclesiae Magisterio discendam habent“¹⁾. Et statuit thesin: „Dogmata fidei Catholicae et leges morales omnes Christi fideles ad credendum et agendum obligant“²⁾.

Hoc idem principium tenet celeberrimus orientalium dissidentium iurisperitus Dr. Nicodemus Milasch, episcopus orientalis, qui in libro suo de iure ecclesiastico scripto haec habet: „Praecepta fidei et morum absolute obligant omnia et singula Ecclesiae membra, ubicunque et quandocunque licet vixerint... Vis obligatoria legum ecclesiasticarum moralium profluit ex ipsa legum harum essentia“³⁾.

4. Confirmatur ratione theologica, siquidem pro omnibus fidei articulis et morum principiis eadem stat auctoritas divina, auctoritas nempe Dei revelantis, qua semel proposita quaestio auctoritative decisa est.

II. Eadem ratione valent omnia, quae in C. J. C. expresse pro orientalibus decisa sunt.

Patet ex ipsa constitutionis ratione.

Veritas nostra iisdem probatur argumentis, quae prius citantur. Innocentius X, Benedictus XIV, et Leo XIII per Congregationes, respective litteris suis encyclicis evidenter docent, constitutionibus Romanorum Pontificum teneri omnes orientales, in quibus Papa explicite eorundem mentionem fecerit et expresse de iisdem disposuerit. ⁴⁾

¹⁾ Papp-Szilágyi; Enchir. Juris Eccl. Orient. Cath. — M-Varadini, 1880. § 23, pg. 22.

²⁾ Ib. §. 55. pg. 68.

³⁾ Nic. Milasch: „Законы вѣры и нравственности безусловно обязательны для всѣхъ и каждаго члена церкви, гдѣ бы онъ ни былъ и когда бы ни жилъ... Обязательность нравственныхъ церковныхъ законовъ вытекаетъ изъ самой сущности этихъ законовъ. — Прав. Церк. Право. — СПбургъ, 1897. § 17. стр. 64. С. eiusdem auctoris librum, ubi in explicando canone Conc. Trull. 2-о haec habet: „Истинны вѣры и нравственности однѣ и тѣже, не могутъ никогда измѣняться и всегда должны остаться однѣми и тѣми же. — Правила Прав. Церкви. СПбургъ, 1911. стр. 438.

⁴⁾ pag. 42 et squ.

Idem legitur apud Papp-Szilágyi, qui statuendo principium, Romanum Pontificem vi plenitudinis potestatis eadem gaudere respectu catholicorum orientalium et occidentalium iurisdictione ¹⁾, expresse etiam docet, res disciplinares Romanorum Pontificum quoad orientales valere, „sive expresse dum feruntur, sive postmodum peculiaribus sanctae Sedis Apostolicae decretis etiam Graeco-catholicis praescribantur“ ²⁾.

Ex hoc principio generali deducitur thesis, sequentes Codicis J. C. respectu orientalium valere canones :

a) Praeprimis canonem 257, quo S. Congregatio instituta est pro Ecclesia Orientali ³⁾.

b) Canonem 98, quo principaliter dirimitur quaestio, cuiusnam ritui partineat quis ⁴⁾.

c) Canonem 756, in quo disciplina expresse tradita est baptismi a quocumque et secundum quemcunque Ecclesiae Catholicae administratum esse ritum ⁵⁾ Praeter hunc canonem dari quamplurimos etiam alios eiusdem Codicis canones, ex rei essentia patet. Ne tamen nimis prolixi iudicemur, sufficit reliquos in cumulo signare tantum canones. Tales sunt v. c. canones : 542., 622. § 4., 733., 756., 781., 782. § 5., 785. § 2., 795., 798., 804., 816., 819., 851., 866., 1148. etc. Praecipue vero illi, qui administrationem spectant Sacramentorum, consentiuntque principiis etiam nostris iuridicis. Sic ut unicum citemus exemplum canon est 761.

III. Quia progrediente iurisprudentiae disciplina atque scientia saeculorum decursu plurima in disciplina ecclesiastica statuta sunt principia, aequae in occidentali ac orientali applicata, hinc eadem valere etiam apud orientales, historice patet ex praxi.

Statuto hocce generali iuris principio, innixi regulae dictae, apud nos sequentes certissime valere dicimus canones:

a) omnes illos, in quibus normae iuris proponuntur generales, si excipias quaedam iuris principia, in quibus conceptus

¹⁾ „Cum omnium ovium et agnorum suorum curam concrediderit Christus Petro, et successoribus Pontificibus Romanis, Romanus Pontifex eandem habet supremi Pastoris potestatem in singulos Ecclesiae Catholicae fideles sive Graeci, sive Latini, aut cuiuscunque Ritus aut linguae illi sint“. L. c. § 23. pg. 22.

²⁾ Ib. pag. 23. sub 5.

³⁾ Cf. pag. 52.

⁴⁾ V. pag. 56.

⁵⁾ V. pag. 78.

orientalis, non tamen essentia, alius est. Principia haec iuris ecclesiastici universaliter generatim loquendo relinquenda existimamus verbotenus, nisi illa quae iuris sunt orientalis specialiter exceperis. Prout sunt v. c.: „Leges instituuntur, cum promulgantur... Lex non praesumitur personalis, sed territorialis, nisi aliud constet“¹⁾. Sic quoad alterum, ut unum saltem adferamus exemplum dictis applicandum: canone 96-o definitur ratio consanguinitatis supputandae per lineas et gradus. Paragrapho 2-a eiusdem canonis principium exponitur supputandorum in linea recta consanguinitatis graduum, quod est: „tot sunt gradus quot generationes“. Paragrapho 3-a idem legitur supputationis in linea obliqua principium, quod ita sonat: „In linea obliqua, si tractus uterque sit aequalis, tot sunt gradus quot generationes in uno tractu lineae: si duo tractus sint inaequales, tot sunt gradus quot generationes in tractu longiore“²⁾. Supputante iure orientali hos etiam gradus secundum generale iuris principium: tot sunt gradus quot generationes, in C. J. C. pro Orientalibus edendo novo manerent dicta immutabiliter tenenda hoc etiam in casu, v. l. tot sunt gradus... etc.

b) Huic classi adiudicandi sunt canones, singulariter Ecclesiae Catholicae decernentes media. Sic canones de Conciliis, de Vicariis et Praefectis Apostolicis, ... et aliis huius generis foris agentes eo magis, quia illos in praxin deductos docet experientia.

c) Ob eandem rationem valere dicendi sunt omnes et singuli canones illi, in quibus de Capitulis et aliis sermo est corporum moralium constitutionibus, apud occidentales et orientales a saeculis iam eadem ratione applicati.

d) Quoad praxin valent canones illi, qui in agendo nobiscum ab ipsa servantur S. Sede Apostolica. Sic canones et directivae respectu matrimonii rati et non consummati, ... etc.³⁾.

e) Eadem ratione, saltem implicite valere dicendi sunt canones, qui ex analogia directivam constituunt etiam pro orientalibus. Sic statuente canone 823. § 2-a latinis „super Graecorum antimenziis“ non licere Missam celebrare, iuridice deducitur, hoc idem sacerdotibus Graecis vetitum esse litare super altaribus sic dictis portatilibus⁴⁾.

¹⁾ Can. 8. §§ 1. 2.

²⁾ Can. 96 §§ 2. 3.

³⁾ Cf. can. 1015. V. S. Congreg. de discipl. Sacramentorum, 27. iv. 1923

⁴⁾ Cf. pag. 67. 4.

f) Valent ulterius canones omnes, qui de iuribus et privilegiis agunt praerogativis, item favoribus. Sic de indulgentiis S. Poenitentiaria expresse declaravit 7.VII. 1917¹⁾. Hac ratione favoribus uti possumus statutis v. c. in canone 1245., qui ita sonat: „Canon 1245. § 1. Non solum Ordinarii locorum, sed etiam parochi, in casibus singularibus iustaque de causa, possunt subiectos sibi singulos fideles singulasve familias, etiam extra territorium, atque in suo territorio etiam peregrinos, a lege communi de observantia festorum itemque de observantia abstinentiae et ieiunii vel etiam utriusque dispensare²⁾).

g) Demum notandum est C. J. C. normam esse in omnibus iuris formationibus, quae orta subsequenti non nisi saeculorum necessitate — statuta sunt ab Ecclesia Catholica in disciplina occidentali, quin de eadem quaestione in disciplina orientali aliquid habeatur. Talibus in casibus statuta pro disciplina occidentali normam et directivam constituunt etiam pro orientalibus. Sequitur ex ipsa rei essentia nec novum quid intra sphaeram iuris, nam idem profitentur ipsi etiam orientales disuniti, normam statuentes, agendi rationem Ecclesiae Romanae propriis omnibus, in quibus in iure ecclesiastico orientali nihil prorsus statutum fuerit ab Ecclesia. „De quibus causis nulla scripta lex est, custodiri oportet mores et consuetudinem. Quod si haec defecerint, proxima propositae quaestioni similia sunt sequenda. Si nec haec quidem inveniantur, tunc ius quo urbs Roma utitur servari oportet³⁾).

§ 7. Modus codificandi C.J.C. pro iure Ecclesiae Catholicae orientali

Quaestionem habemus demum solvendam de quomodo in orientales extendendo Codice C. J. C. novo. Hic principia imprimis statuenda sunt quaedam iurisprudentiae generalia.

Explicatio iuris ecclesiastici continua simul et perfectio eiusdem constans obiectum constituunt quaestionum, quarum

¹⁾ Acta Apost. Sedis. 1917. IX. pag. 399.

²⁾ Can. 1145. § 1.

³⁾ Liber 11. Basilicalium. tit. 1. C. XI. — Cf. Papp-Szilágyi, l. c. § 55. pag. 68, qui sequentia habet: „Ipsi Pedalionis, seu Codicis canonum Graeci commentatores Schismatici Nota 2. ad canonem II. Trullanum inquirunt: Quemadmodum Concilium Oecumenicum V accepit opera s. Augustini et Ambrosii, in quibus propugnarunt fidem contra haereticos; ita nos quae congruunt Synodorum Occidentalium acceptamus“ Papp-Szilágyi, l. c. pag. 24. Nota 1.

elucubratiō lucidam commendat disciplinae ecclesiasticae imaginem. Ratione disciplinari plurimi momenti tenendum est principium, utrum explicita legis cuiuscunque ordinatio universalem habeat iuris in Ecclesia valorem, an tenenda sit particularis. Character legis universalis valorem communicat legi generalem, institutio vero particularis locum habere nequit, nisi qui sibi defixus fuerit virtute originali assequendus. Ex quo patet, leges universales ferri posse nisi a foro iurisdictionem universalem habente, legum vero particularium auctorem esse ipsum etiam forum particulare.

Cardo disciplinae Ecclesiae Catholicae orientalis, prout generatim idem fit in ipsa etiam disciplina occidentali, ex illis formatur legislationis institutis, quae universalem habent iuris dispositionem, proportionatam nempe, cui et ipsa inhaereat oportet iurisprudētia ecclesiastica. Ex universali caractere principii ita statuti magni momenti sequitur quaestio, quae sint ista iuris ecclesiastici statuta, quae universalem habere dicenda sunt in Ecclesiae Catholicae disciplina orientali valorem. Aliis verbis, quod sit tempus istud, usque dum articuli iuris ecclesiastici universalem in Oriente habuerint legum valorem?

In quaestione universalitatis articulorum iuris ecclesiastici potestas eminet illa, quam Christus Dominus apostolis contulit dicens: „Euntes... docete omnes gentes“¹⁾. Quaeritur ergo quod sit istud tempus, usque quod qua terminum ad quem ordinationes iuris in Ecclesia Orientali universaliter valentes dicendi sint?

Responsum patet: statuta iuris ecclesiastici orientalia vim obligandi habent in Ecclesia Orientali universalem usque dum potestas haec universalis de facto in partibus applicata fuerit orientalibus. Quoad rem: usque medium saeculi XI, quando schismate in Oriente exorto partes orientales potestatem amittere ad Ecclesiam gubernandam absolute necessariam.

Itaque ut statuta iuris universalem habeant vim obligandi omnes, necesse est, ut illa ex plenitudine ortum habuerint potestatis. Sequitur ex caractere iurisprudētiaē generatim, vi cuius lex censenda est valida, vel ex defectu iurisdictionis invalida. Doctrina dicta ex generalibus patet legum ferendarum principii, et confirmatur ex ipsa Orientis praxi, necnon ex

¹⁾ Mt. 23, 19.

communi orientalium disunitorum loquendi modo. Orientales enim, illique ab unitatis centro abscissi, ipsi etiam id unum asserendo tenent assequendum, ut valor potestatis legislativae censeatur a potestate dependens universali. Idipsum concluditur ex stylo ipsorum iuris ecclesiastici statutorum, i. e. legum, in quo summam adhibent curam, ne vel res ipsa tangatur, vel explicite pertractetur.

Natura legislationis explicitae interna potestati inhaeret iurisdictionis ipsius, nullatenus limites sphaerae suae transgredi valentis. Inde est, quod quaestio potestatis in condendis legibus ecclesiasticis essentialiter ingerat valori legum ipsi, characterem iurisdictionis universalis vel particularis probanti. Basis itaque legislationis ecclesiasticae nulla alia esse potest, quam potestas Ecclesiae Catholicae summa, eaque universalis. Econtra, hanc nulla alia suppleri posse, omnibus clarum est.

Principium hoc necessario ipsi inhaeret ideae ecclesiarum sic dictarum independetium: αἱ ἐκκλησίαι αὐτοκεφαλᾶι. Cum pondere testati asserimus, conceptum hunc in illis non nisi, quae ab Ecclesia Catholica separatae fuerint, inveniri partibus. Essentia enim legislationis universalis probat, ecclesias in sinu Ecclesiae Catholicae nullatenus esse posse independentes, ex quo patet τὰς ἐκκλησίας αὐτοκεφαλᾶς institutum esse necessario particulare. Et recte ideo, quia ecclesiae a centro separatae particulares iudicandae, leges nullatenus ferre possunt universali characterem praeditas.

Ex necessitate itaque potestatis leges ferendi universalis sequitur, relationem inter quaestionem nostram et inter ipsum factum debere esse necessario internam, sive essentialem, quousque nempe character servatus esset legislationis orientalis universalis? Fundamentum quaestionis huius normam explicat iurisprudentiae philosophice, axioma docentis certum: vim legum universalem necessario potestati adhaerere universali. Quod vero ipsum attinet factum, historice certum est, potestatem iurisdictionis universalis in partibus orientalibus mediante saeculo XI (tempore nempe Michaleis Caerularii), abscissa unitate cum centro, ipsum etiam dirruptum fuisse. Cum autem haec nullatenus suppleri valeat, certum est, legislationem partium orientalium caharakterem suum a caeculo XI amisisse universalem.

In libris auctorum iurisperitorum studii orientalis dissidentium argumenta legi possunt, quibus valor legislationis

orientalium cum Ecclesia Catholica non unitorum demonstrari intenditur universalis, illa tamen thesi probandae insufficientia esse certissime constat. Eo vel magis, quia argumenta illa in se nihil aliud sunt, quam simplex quaedam potestatis centralis a Christo Domino in Ecclesia institutae negatio.

In explicatione legislationis orientalis historica inter epocham primorum octo et inter saecula hiatus cernitur subsequenter minime transgredibilis. Fatemur, directe nos uti termino „epochae conciliorum“, ad significandum breviter, octo Ecclesiae Catholicae concilia universalia prima in Oriente habita fuisse, quod in explicatione legislationis orientalium diiudicanda summi momenti esse debet¹⁾.

Quoadusque unio cum centro Ecclesiae Catholicae servata fuerit organica, adusque nihil ad universalem legislationis characterem necessarium defuit conditionum. Dirrupta tamen centro ecclesiastico adhaesione organica, factam testamur ipsam etiam leges ferendi universales potestatem oecumenicam, quo et ipsam solutam fuisse universalitatis legum ferendarum basin profiteamur.

Iurisperiti disciplinae orientalis disuniti affirmant, fontem legislationis oecumenicae — lapso conciliorum primorum tempore patriarcham habuisse Constantinopolitanum²⁾. Argumenti ratione citant factum, potestatem legum ferendarum universalium praeterlapsa synodorum primarum epocha — ecclesiis traditam fuisse sic dictis iudependentibus, explicite: conventibus episcoporum ecclesiarum independentium, praepremis synodis episcoporum patriarchatus Constantinopolitani, quarum statuta adinstar legum censi debeant universalium.

Statutum hoc ab adversariis principium simpliciter negandum est, siquidem historia testante, Ecclesia Catholica inde a saeculo XI plura celebravit episcoporum concilia universalia, epocha itaque „synodorum vel conciliorum“ nullatenus exhausta dici potest saeculo VIII sive IX. Verum quidem, hisce conciliis Ecclesiae Catholicae — dirrupta inter Occidentem et Orientem unione, — orientales non adfuisse, si duo excipias (Lugdunense II et Florentinum) concilia, simplicem tamen illorum absentiam non universali obstare conciliorum characteri omnibus patet.

¹⁾ Non uniti septem nonnisi agnoscunt prima concilia oecumenica, hoc tamen sententiam redolere illorum subiectivam historia patet.

²⁾ A. Milasch, l. c. §. 13. pag. 123.

Neque reliqua, quae a dissentientibus proferri solent, sufficiunt argumenta. Sic non probat argumentum provocando ad prioritatem sedis Constantinopolitanae iam vel ideo, quia prioritas haec subsequens erat dignitati Romani Pontificis primatiali. Stabilita secus patriarchatus Constantinopolitani dignitas virtute canonum erat nonnisi dignitas patriarchalis, quae ipsa etiam, nullatenus canonibus illis negata potestatis Romani Pontificis in universam Ecclesiam Catholicam oecumenicitate, secunda statuitur post Romanum Pontificem dignitas et nisi tali sensu subseque approbata fuit). Praeeminentia ergo haec patriarchae Constantinopolitani honoris differt essentialiter a primatu principis Apostolorum Petro et successoribus suis per Christum Dominum communicato. Potestas enim capiti Ecclesiae Catholicae divinitus data ius est gubernandi Ecclesiam Christi, τὰ πρεσβεία τῆς ἐξουσίας, dum praeeminentia patriarcharum ecclesiastice communicatur estque primatus honoris tantum: τὰ πρεσβεία τῆς τιμῆς.

Nec probat sententiam orientalium factum, ad quod provocant, historicum, patriarchas Constantinopolitanos manus directivas Orienti per plura saecula applicasse, nam exercita haec dirigendi, aut quocumque illam nominare volueris termino, potestas non altior esse potest, quam quae patriarchis Constantinopolitanis ex ratione cathedrae competeat suae. Hanc vero nullatenus primatiale iurisdictionis fuisse, dogmatice et historice constat.

Demum nullam probandi praebet rationem historicum sedis patriarchalis Constantinopolitanae munus, a theologis et iurisperitis orientalium emphatice agitatum²⁾. Iuxta opinionem orientalium nempe actus gubernationis universalis competeret patriarchae Constantinopolitano ideo, quia religio christiana exinde propagabatur in plagis orientalibus. Factum, licet historice et primis saeculis probatum, non plus demonstrat, quam eventum simplicem historicum, qui nullatenus fundamentum esse potest auctoritatis primatialis iuridicae, cum haec posterior ab ipso Christo Domino, utpote auctore potestatis primatus, originem habere debeat.

¹⁾ Cf. can. 3. conc. oecum. II, can. 36. conc. IV, 36. IV, 13. conc. VIII, can. 27. conc. Lugdun., demum can. conc. Flor., Eugenio IV in Bulla „Laetentur coeli“ confirmatum.

²⁾ V. Milasch, l. c. §. 23. pag. 123.

Deficiente itaque potestate centro veritatis unita, deficiebat et ipsa plagarum orientalium legislatio universalis. Exinde ergo concludendum est, legislationem Orientis ad saeculum extendendum esse solum XI universalem, ampliatam ab hoc tempore legibus nonnisi quibusdam particularibus. Quinimo factum maternam testatur Ecclesiae Catholicae curam, omnia arripientis semper armorum media, quibus veritas inter homines propagari possit unice catholica.

His praemissis quaerimus, quid itaque constituta ut legislationis Orientis materiam, vel practice loquendo, quid sit materia iuris graeci ritus catholicorum?

Obiective spectando quaestionem respondemus: fontes iuris nostri materiales sequentes sunt: 1. Canones omnes, qui in Codice Juris Canonici Orientis comprehenduntur. Itaque: canones Apostolorum, canones 8 conciliorum oecumenicorum primorum, i. e. nicaeni (325), constantinopolitani (381), ephesini (431), chalcedonensis (451), constantinopolitani II ³/₁₁ (553), constantinopolitani III (680), nicaeni secundi (787) et constantinopolitani quarti (869), ulterius canones octo synodorum particularium, ratione materiae iuris ad gradus elevatarum conciliorum universalium; sic: ancyrae (314), neocesariae (ca 314-325), gangrensis (ca 340), antiochenae (341), laodiceae (ca 343), sardicaensis (343), constantinopolitanae (394), carthaginensis (419). Dein canones SS. Patrum, prout: S. Dionysii Alexandrinensis, S. Gregorii Neocesariaensis, S. Petri Alexandrini, S. Athanasii Magni, S. Basillii Magni, S. Gregorii Nysseni, S. Gregorii Nazianzeni, S. Amphiloehii Iconaensis, Timothei Alexandrini, Theophili Alexandrini, S. Cyrilli Alexandrini, S. Gennadii Constantinopolitani, S. Tarasii Constantinopolitani. His accedunt canones ex tempore separationis ecclesiasticae illi, quos decretum unionis cum respectivis plagis saltem tacite sancivit. Sic v. c. canon in concilio Constantinopolitano 11. IV. 1166 sub patriarcha Luca prolatus, vi cuius gradus cognationis matrimonium impediens supputandus est secundum numerationem Graecorum septimus, (correspondet secundum computationem occidentalem quarto), qualis apud graeco-catholicos qua impedimentum dirimens tenetur generatim¹⁾.

¹⁾ Cf. can. 54. conc. VI.

Materia iuris ita considerata amplificatur ulterius decretis omnibus post s. Unionem respectivorum latis sive Romanorum Pontificum, sive variarum Apost. Sedis SS. Congregationum, praeprimis S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, sive aliarum synodorum nefors particulariter alicubi habitarum. De his synodorum particularium statutis adnotandum est, decreta illarum particularia esse, utpote ex principio procedentia particulari, ideoque nonnisi ibi valere, ubi lata fuerint.

Respectu fontium sic conceptorum materialium valent eadem principia iuris, quae Ecclesia Catholica practice agendo vel philosophice concipiendo determinat. Principium primum est: canonem quencunque valere adusque tantum, quoadusque novo canone non fuerit abrogatus, vel eidem derogatum. Respectu derogationis ulterius principii rationem habet, idque essentiale iuris positivum, derogationem ab illis oriri debere factoribus, qui iure legis ferendi polluerint. Ergo imprimis a foro leges ferendi competente, eadem tamen ratione etiam a consuetudine ipsa¹⁾. Cum itaque fontes iuris a nobis enumerati fuerint sensu obiectivo intelligimus eos eo sensu, quo hi ab Ecclesia Catholica in opere iuris agendo adhibiti sint. Ut exemplo confirmemus dicta, canon v. c. apostolicus 85. intelligendus est qua fons iuris materialis, cum tamen particularibus de eodem canone aliter respondendum sit nobis quaestionibus. Eadem ratione canonem apostolicum 63. de non comedendo sanguine dicimus hodie non valere, licet a concilio Gangrensi in canone 2-o et Conc. VI in canone 67-o approbatus esset, quia respectu sanguinis sumendi vel non comedendi consuetudine in Ecclesia aliud in agendo introductum subseque erat. Principium hoc interpretandarum legum magni momenti habendum est, quia non tantum regulam complectitur in se quaestionis solvendae, valeat-ne aliquis canon aut non, sed praeprimis idoneum apparet, cui inhaerendo cooperatio

¹⁾ „Fons iuris ratio est, propter quam norma aliqua sive regula vim obligandi habet, quae iuxta Ecclesiae constitutionem est auctoritas legislatoris, id est potestatis ecclesiasticae, quae semper viva est, et pro quolibet determinato tempore eidem normae impertitur vim obligandi hic et nunc suos subditos, sive norma illa antiquissima sit et non revocata, sive de novo praescribatur, sive in legitima consuetudine fundamentum agnoscat, sive naturam habeat legis generalis aut particularis“. Papp-Szilágyi, l. c. § 27. pag. 25.

disciplinarum Ecclesiae Catholicae graecae et latinae certioretur harmonica.

Ad fontes iuris orientalis materiales pertinere illas etiam, quae facta partium cum Ecclesia Catholica unione, singillatim ab illis latae fuere, legum dispositiones, omnibus patet. Et quidem attendendo regulis legum ferendarum generalibus. Historia enim testante orientales ante suam cum Ecclesia Catholica unionem particularem multa ferebant iuris statuta. Leges hae ordinationes complectuntur saepissime magni momenti aestimandas. Respectu harum principium est: illas valere in illis locis, ubi latae fuerint. Et quidem in eo gradu, quo forum particulares has constitutiones approbabat et confirmabat competens. Quoad solvendam quaestionem, an valeant illae in aliis etiam unitorum locis, ibi nempe, ubi illae et pro quibus non fuerint latae, respondendum est negative, tenendumque est principium iuris, particulares has quorundam constitutiones in locis, pro quibus non sunt latae, adhiberi posse ad summum ad analogiam casuum. Sit exemplum practicum: decreta concilii Zamosciae habiti apud nos nullum habent valorem iuridicum, latae enim sunt non tantum a particularibus, sed pro particularibus etiam, ideoque valorem habent nonnisi particularem, ad analogiam tamen citari possunt qua rationes quaestionum illustrantes, licet illam nullatenus iuridice dirimentes.

Codificatione disciplinae Ecclesiae Catholicae orientalis inde a saeculo XI deficiente universali, proximum iam ardet tempus, quo codificatio talis rite atque competenter peragatur, eo vel magis, quia legislatio hac in re orientalis inde a saeculo XI absolute insoluta haeret universalis. Res agitanda est certe, quo in munere S. Sedes Apostolica summum aderit nobis adiutorium potens. Auxilium hoc datur in Codice praeprimis J. C., quem respective influxum eiusdem evitare nullatenus poterimus, siquidem facinus illum esse omnibus saeculis imitandum nemo non videt.

Sententia nostra perfectissimum esset, si Codex pro orientalibus edendus novus codificationi disciplinae occidentalis conformiter, et ipse codificationem complecteretur disciplinae iuris orientalis plenam.

Quaestione modo a nobis praelimitato soluta, orbis catholicus directione ditaretur omnibus catholica, virtute cingeretur omnia secum rapiente, fide firmaretur salutis interna et spirituali

condiretur sanguinis circulatione perfecta, simulatque unitate cumlaretur charitatis pulcherrima. Christum Dominum talem ab omnibus voluisse velleque etiam hodie unionem, certum est omnibus. Haec orando petimus implenda a Deo, nam secundum caeremoniarum nostrarum verba quotidie enixe rogamus Deum Optimum, ut coadunet unumque disponat fidelium in unitate corda omnium. ¹⁾

Haec tamen in spe tantum porriguntur nobis, editionem Codicis pro orientalibus omnibus ex corde anhelantibus, cum summus unitati sanctae inimicus — spiritus multorum contradictorius — aggravet, proh dolor, supprimatque multorum corda adhuc. Deficiente unitate omnium, summus operi sacro ponitur obex inimicus.

Licet tamen operi ex defectu Unionis omnium obstacula posita sint gravissima, quod possibile aggrediendum est nobis omnino, ut propriis saltem succurramus exigentiis nostris.

Petendus est Codex J. C. a S. Sede Apostolica pro orientalibus unitis omnibus, vel si hoc absolute impossibile visum fuerit, humiliter eadem inquirenda est S. Sedes Apostolica, ut Codicem J. C. novum saltem dioecibus edere non dedignaretur nostris.

Hic memoriae iuvabit commendare factum historicum, episcopos dioecesium Munkačiensis, Prešovensis et Hajdudoroghensis, in finem vergente a. 1917 humillime Beatissimum exorasse Patrem, ut Codex tunc temporis editus subditis suis extenderetur novus. Responsum accepere praesules sequens: „Commissione Pontificia per l'interpretazione de Codice di Diritto Canonico. Romae 10. Martii 1918. Amplissimi Praesules, vota, quae Amplitudines Vestrae per litteras diei 31. Decembris 1917 humiliter ad Sanctissimum Dominum Nostrum Benedictum divina Providentia Papam XV faciunt, ut novus Codex complectatur etiam istas Vestras Dioeceses graeci ritus catholicorum, scilicet Munkačiensis, Eperjesensis atque Hajdudoroghensem, lubenter et propensa voluntate Sanctitas Sua accepit. Ut autem Sanctitas Sua optata Vestra convenientius replere possit, opportunum est, ut Amplitudines Vestrae antea declarent, quaenam consuetudines in Vestris Dioecibus vigeant circa ieiunium, praesertim vero quaenam sint in specie propria iura Graecorum, de quibus in

¹⁾ Cf. Ekteniam Liturgiae nostrae sic dictam magnam.

memoratis litteris Amplitudinum Vestrarum fit mentio. Quae cum Amplitudinibus Vestris nota facio, cuncta fausta a Deo adprecor. P. Card. Gasparri m. p. Aloisius Sincero m. p. secretarius.⁽¹⁾

Opus arduum difficillimumque esse, nemo non videt, nam opus concipiendum est omnibus facillime directivum porrigens orientalibus illisque ad unionem vocandis salutifere. Difficultates tamen auxiliante divina Gratia superandas speramus eo vel magis, quia anhelatum ipsi Summo Pontifici, utpote Capiti Ecclesiae Catholicae, arridet opus optaturque ab omnibus Praesulibus nostris, in quo adiutrices speramus omnium in peragendo manus.

In codificatione iuris Ecclesiae Catholicae orientalis sequentia se offerunt principia stricte verificanda. Praeprimis considerandus est finis codificationis, qui alius non esse potest, nisi medium ad unionem cum centro Ecclesiae Catholicae firmandam Orientalium omnium. Habita ratione finis huius universalis, sequentia, quae in Codice J. C. edendo realizanda sunt, commendantur nobis principia.

1) PRINCIPIUM I. *Codificatio iuris ecclesiae catholicae orientalis nullam in disciplina orientali causabit mutationem*²⁾.

2). PRINCIPIUM II. *Quae iuris privilegia in disciplina habentur orientali, explicite et nullo facto discrimine nullaque exceptione servanda sunt in posterum, unice augenda omnibus, quae in Codice J. C. hucusque edito stabilita fuere iuris gratiis*³⁾.

3). PRINCIPIUM III. *Leges processus et administrativae ex Codice J. C. transsumantur accommodandae disciplinae orientali.*

Ex principiis enucleatis illibata sequuntur:

1. disciplinae Ecclesiae Catholicae orientalis conservatio;
2. privilegiorum hucusque possessorum retentio et certioratio stabilis;
3. materia iuris, dotibus ex continua saeculorum elucubratione paratis pretiosissimis cumulatio ditissima.

Ex quibus omnibus patet, nihil nobis ex Codice edendo ratione disciplinae orientalis timendum est novo, quinimo ditandi videbimur mediis explicitis, quibus avitam illam et ab ipsis

¹⁾ Commiss. Pontif. 10. III. 1918. Cf. Apost. Administr. Miskolcensem, Nr. 23., 6. XI 1925.

²⁾ De ritu, quem Codex immutandum docet, non est agendum. C. f. can 2.

³⁾ Directivum Codicis J. C. principium libertas est et extensio privilegiorum, quae lectoribus Codicem primo apparent obtutu.

Apostolorum temporibus orta et in posterum certiorare poterimus disciplinam nostram.

Nulla ergo ex Codice timenda est privilegiorum Graecorum perditio, siquidem ex principio in prioribus statuto secundo constat, finem et rationem edendi Codicis novi stabilem esse privilegiorum omnium conservationem, eorundem codificationem, quinimo et ipsam talium privilegiorum auctionem.

Opus ita praeconceptum arduum quidem est, nullatenus tamen insupportabile. Coadunatis operi huic viribus necessariis, principiorum realizatio brevi tempore fieri poterit, adhibendis. Expensae non nisi magnam facere videntur vocatorum ad id curam, nec tamen difficultas hac etiam ex parte timenda est, cum omnium scientiarum et artium Magistra, — Caput et Principium hac ex parte quoque nobis succursura est Mater universorum Roma, cui clarum est, editionem talis, prout contemplabatur, facinoris disciplinae orientalis regulas codificaturi effectibus in bonum commune plenam fore optimis, quos nec numeris, nec effectibus sufficientes aestimare poterimus moralibus et intellectualibus.

Haec vero omnia absoluta certitudine fore quam citissime, firmissimum habemus in praeaudato et praeanelando opere persuasionis nostrae auspiciem, ipsum gloriosissime Ecclesiam Christi gubernantem Pium Romanum Pontificem XI, qui in litteris suis encyclicis: „Rerum Orientalium studii“ inscriptis animum suum erga Orientales effundebat novissime providentissimum. ¹⁾ Summus Pontifex totus in eo est, ut „paternam — testaretur — Apostolicae Sedis erga nationes orientales providentiam studiumque“ ²⁾, item cotidianam eiusdem Apostolicae Sedis beneficiorum in orientales effusionem, „ut orientalium nationum utilitati consuleret“ ³⁾.

Spes nostra cura fulcitur eorundem Romanorum Pontificum qui omnes id voluere semper, ut „sedibus seu Universitatibus studiorum propria Orientalium magisteria paterent“ ⁴⁾. Factum enim omnibus cognitum est, Romanos Pontifices cum intelligerent, „ad caritatem mutuamque aestimationem fovendam plurimum conferre uberio rem rerum orientalium inter Occidentales

¹⁾ Pius XI „Rerum Orientalium studii“. dd. 8. IX. 1928. V. Acta Apostolicae Sedis, a. XX. vol. XX. Nr. 9. die 10. IX. 1928. pag. 278—288.

²⁾ Ib pag. 278.

³⁾ Ib,

⁴⁾ Pag. 280.

cognitionem, ad tantum bonum comparandum omni contentione¹⁾ incubuisse.

Beatissimus Pater solemniter testatur, se in gentes orientales paternam providentiam sacra veluti haereditate a Pio X acceptam²⁾ habere, et decreta sua in emolumentum orientalium „quodam divino instinctu“ commendare³⁾.

In iisdem encyclicis litteris suis provocat ad „acuratissimum studium“ orientalium, summam habens curam, ut alumni seminariorum omnium „mentes animosque ad Orientalium doctrinas ritusque“ convertant,⁴⁾ palam testificando, sui „muneris esse — nullis unquam parcere laboribus ut Orientalis Instituti a (Se) confirmati vitam, non modo tutissimam, sed etiam, quoad fieri posset, novis in dies incrementi florentissimam“⁵⁾ praestare.

Qui „nullis perterritus difficultatibus — totus est in iis omnibus, quae Orientis regionem, mores, linguas, ritus attingant, comparandis“, videant omnes atque „edocentur quanto in honore vera, perennis, legitima „orthodoxia“ a Romana Ecclesia habeatur, quantaque religione conservaretur, defendatur, propageetur⁶⁾, ut „avitas repetendo glorias praeiudicatasque opiniones deponendo, ad optatissimam gestiant redire unitatem“.

Curam testatur maximam in eo esse suam, ut testes habeantur omnibus imbuti publici, qui „enarrent Romanorum Patrum sollicitudinem in eorum (orientalium) iuribus bonisque tutandis“⁷⁾.

Et cohortatur demum omnes in Christo „Venerabiles Fratres, cum universos tum singulos...“, ut, orientalium rerum studia omni ope provehentes (secum) animi vires ad tantum parficiendum opus“ intendant⁸⁾.

Gravissimum demum spes nostra ex ipso haurit Beatissimo Patre adminiculum, qui nuperrime per S. Congregationem pro Ecclesia Orientali omnes provocare dignatus est Orientalium Patriarchas, Metropolitans, Archiepiscopos atque Episcopos, ut

1) Pag. 281.

2) L. c.

3) Pag. 283.

4) Pg. 284.

5) Ib. pag. 285.


6) Pag. 285—286.

7) L. c. 287.

8) Pag. 288.

intra 6 mensium ab ipso litterarum eiusdem S. Congregationis dato spatium, sententiam suam methodumque S. Apostolicae Sedi patefacere, quas de codificando quisque eorum habuerint iure Ecclesiae Catholicae orientali, quia nullo alio se magis agitari testatur Sanctissimus Pater, quam ut orationibus iustisque hac in re satisfaciat Orientalium desideriis. „Ora nulla sta piu a cuore di Sua Santita che venire incontro a questi desideri delle Chiese Orientali, e dei loro degnissimi Prelati. 1)

In iisdem S. Congregationis litteris Beatissimus Pater directivos expandit ulterius de codificatione hac sensus suos, provocando eosdem Antistites, ut omnes et singuli plena libertate et sincere communicant omnia quae principiorum ratione incolumiter in codificando voluerint servanda esse iure orientali, habito respectu nempe exigentiarum, rituum propriorum ipsarum item Ecclesiarum, necessitatum, consuetudinum, privilegiorum, linguarum et omnium aliorum, ut codificatio in emolumentum Ecclesiarum, Cleri et ipsorum etiam populorum succedat auscultanda. „Tutto questo, tenendo Ciascuno il debito conto dei bisogni, necessita od opportunita del proprio Rito o propria Chiesa, come pure delle consuetudini, tradizioni, privilegi e della propria lingua, di tutto quanto in una parola e necessario e opportuno, affinche la Codificazione riesca appieno corrispondente allo scopo inteso ed a vantaggio delle loro Chiese, del loro Clero e della loro popolazione 2).



1) S. Congreg. Pro Eccl. Orient. 5. I. 1929. Num. Di Prot. 428/28.

2) Ib.

Церковне судівництво в церковних уставах XI і XII віку

(Vlad. Levycky — De iudiciis ecclesiasticis in Ucrainorum constitutionibus publicis XI et XII saec.)

I

Церковні устави та церковне судівництво домонгольської доби

Монгольсько-татарська навала, що пересунулася в XIII ст. через українські землі, знищила високу на свій час культуру княжої доби. Внівець обернулися всі культурні надбання цього періоду, а в пожарі наших культурних осередків, себто монастирів загинула майже вся письменська творчість українського духа. Твори — останки цього часу, які заховалися випадком в одному, або другому незруйнованому монастиреви, свідчать про високий уровень релігійно-культурного життя наших предків.

З оставших письм творчої скарбниці домонгольської доби замітні деякі акти, які унагляднюють тогочасні умовини церковного життя на наших землях та в приближенні подають обсяг діяльності церкви на різних ділянках. Річ йде про пять церковних уставів домонгольської доби:

- 1) Устав св. Володимира о церковних судах;
- 2) Устав кн. Всеволода Мстиславича Новгородського о церковних судах, людях і торгових мірилах (1125—1136 р.).
- 3) Устав тогож князя церкви св. Івана Предтечі на Опоках¹⁾ з р. 1135.
- 4) Устав Святослава Ольговича, кн. Новгорода Вел. з р. 1137.
- 5) Устав Ростислава Мстиславича, князя Смоленська, з р. 1150 для новооснованої єпископської катедри в Смоленську.

¹⁾ Передмістя Новгороду.

6) Слід згадати ще шестий церковний устав Ярослава, на яким одначе, як на джерелі домонгольської доби, тяжко опиратися, задля його аж надто сумнівної автентичности.

Церковні устави — це короткі змістом привілеї князя даної землі для духовенства, якому він надає означену судовласть та достаточні матеріяльні засоби для прожиття та виконання важкого завдання у християнізуванні населення його території. Є це рівночасно своєрідні конкордати між церквою та державою. Безумовно, що сьгоднішні подібні акти обговорюють подрібно потреби й умовини сучасности, тому задля своєї точности та виробленої форми є ясніші, однак містять в своїм змісті багато вузший круг діланья, як це його находимо у дволисткових церковних уставах. В них один термін, одно слово — загально сказані, обіймають цілу ділянку судовласти, яка сьогодня творилаб цілу низку постанов конкордату. Мимо своєї короткости щодо форми є вони багаті обсягом церковної влади, а між їхніми рядками вичитуємо цікаві річи історично-культурної вартости та виробляємо собі погляд на правні відносини церкви до держави.

Нерозвинення та неточне зясування поодиноких справ, згаданих в уставах, що позірно виглядає на противорічність з обсягом судівництва державних судів та деякі пізніші вставки — стали в XIX ст. для деяких істориків підставою до заперечення частинної, а навіть повної автентичности уставів.

Цілий ряд закидів проти автентичности більшої части церковних уставів піднесли особливо російські історики II пол. XIX ст. як Голубинський, Суворов, Неволин, допроваджуючи деякі з них у своїй гіперкритиці до заперечення автентичности мало не всіх церковних уставів. Нині запримічуємо в історичній критиці немов відворотну філю. Новіші історики церкви та історики права регабілітують автентичність мало не всіх уставів, а навіть у загально досі опрокиданім церковнім уставі Ярослава Мудрого бачать елементи якогось автентичного, але зміненого пізніше документу. Згадати праці Лотоцького про устави Володимира та Ярослава.¹⁾ У сій розвідці годі спинятися над аналізою

¹⁾ Записки Н. Т. Ш. Т. 138—140 та Ювильейний Наук. Збірник Укр. Унів. в Празі в честь Масарика 1925.

питання автентичности поодиноких церковних уставів, бо до цієї справи посідаємо вже обширну літературу, в яку тяжко булоби щонебудь внести нового. У використуванні змісту церковних уставів будемо опиратися на всіх уставах з виїмком Ярославового, якого автентичности годі боронити. В прочих уставах використаємо ті часті, які нинішня історична критика вважає автентичними. Заки приступимо до з'ясування обсягу церковного судівництва, що є предметом нашої праці, схарактеризуємо коротко згаданих п'ять уставів, вказуючи як з бігом часу проявляється у них зміна обсягу церковного судівництва.

Пригляньмося проте ближше змістови церковних уставів. Коли устав Володимира короткий, але багатий змістом, бо обіймає щироку юрисдикцію церковних судів без застереження та точного означення поодиноких справ — то оба устави Всеволода вже немов зновелізовані. В них подрібно означено церковну юрисдикцію, яка тут виспеціалізована. Крім того замітні вже тут змагання відібрати церкві великі доходи з опіки над мірами та вагами, як також із торгових домів, що проявляється у відібранні духовенству половини цих доходів. Особливо II устав Всеволода оставляє церкві вже точно означені належності за сповнення духовенством богослужебних функцій при різних торгових нагодах. Устав Святослава Ольговича та устав Ростислава Мстиславича вичисляють докладно десятину, яка приходить церкві із кожної волости так, що можна означити загальну суму доходів духовенства в даних князівствах. Разом з тим маліє або й зовсім зникає судейська влада духовних у справах світського характеру, як нпр. у спадкових справах. У всіх уставах не бракує вставок та підроблення пізніших часів. В уставі Володимира автентичними є лиш 1) надання церкві десятини, 2) обсяг річевої та особової юрисдикції церковних судів, 3) догляд над мірами й вагами, 4) вузьке за-кляття.

